



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1718**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-6084**

# BIBLIOTHECA

*Historico-Philologico-*  
**THEOLOGICA.**

*Classis primae*

**FASCICULUS TERTIUS.**



---

*FRANCOFURTI & LIPSIAE.*

---

**BREMAE.**

Typis & impensis **RUDOLPHI HOFFERI**

Anno. **M D CC XVIII.**

VIRO

*Summe venerando atque  
amplissimo*

DANIELI  
ERNESTO  
JABLONSKIO,

Sacrofanctae Theologiae

DOCTRI,

Regiae Majestatis

BORUSSIAE

a concionibus aulicis primariis,

Ecclesiarum unitarum per magnam

POLONIAM ac PRUSSIAM

SENIORI,

Regiae societatis scientiarum,

quae

BEROLINI FLORET,

membro ac

VICE-PRAESIDI

dignissimo,

VIRO DE OMNI RE LITERARIA NON

MINUS, AC DE ECCLESIA PRAE-

CLARISSIME MERITO.

Ter-

*Tertium*  
*hunc hujus*

**BIBLIOTHECAE**

**FASCICULUM,**

**Cum summae observantiae**

significatione perpetuaeque fe-  
licitatis voto of-

ferunt,

**UTQUE HOC INSTITUTUM, QUAN-**

**TUM IN SE EST, ADIUVARE,**

**SUISQUE**

**Eruditionis multivariae monumentis**  
ornare velit,

**PUBLICO NOMINE POSCUNT**

**EDITORES.**

Con-

Continentur hoc fasciculo.

- I. Gerhardi OUTHOVII Observ. in libros Bi-  
blicos V. T. in quibus textus Hebraicus  
cum versione *law* LXX. confertur, SPE-  
CIMEN. p. 205.
- II. Friderici Christophori NEUBOUR, an-  
notationes Philologicae in quaedam N.  
T. loca p. 237.
- III. Joh. Alphonfi TURRETTINI cogita-  
tiones de variis Theologiae Captitibus p.  
267.
- IV. Jacobi HASAEL in quaedam sacri Codicis  
loca animadversiones p. 295.
- V. Hadriani RELANDI de *Uxore domiseda* ad  
locum Tit. II: 5 disputatio p. 314.
- VI. Joh. Georg. ECCARDI de P. Orosii ORMI-  
STA mundi Schediasma, p. 325.
- VII. Dionysii Alexandri ROELL de *immagine*  
Dei in homine dissertatio. p. 335.
- VIII. Edictum Senatus TIGURINI contra  
hodiernos fanaticos p. 351.
- IX. Catalogus librorum, a Reformatis a. 1717.  
editorum.

1. GERMANICE, p. 358.

2. Belgice, p. 368.

3. Anglice p. 375.



I.

GERARDI OUTHOVII  
OBSERVATIONUM  
in libros Biblicos v. T.

Inprimis in ea Loca, ubi LXX. Interpretes Græci a Textu Hebræo vel discrepant, vel discrepare videntur: ubi tum rationes discrepantiarum investigantur, ac dissensus, ubi fieri potest, tolluntur, phrasæque Græcæ explicantur ac elucidantur. Collato quoque textu Græco LXX. cum fragmentis Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & paraphrasi Apollinarii.

SPECIMEN.

Continens operis *prolegomena* & in Psalmum I. animadversiones.

III. Fascicul.



Leæt.

Lectori *xeigew.*

**U**T Macrobius, *libr. 5. Saturnal.* scripsit, tria esse ex æquo impossibilia, vel Jovi fulmen eripere, vel Herculi extorquere clavam, vel Homero subtrahere versum; sic ego hoc quartum, ut æque impossibile addo, scilicet plane tollere omnes dissensus, vel discrepantias inter textum factum Veteris Testamenti & versionem Græcam eorum Interpretum, qui vulgo septuaginta vocantur. Nebulas ergo diverberaret, qui hoc efficere conaretur, facilius enim cancrum recte ingredi doceret, quam omnes hæc dissonantias tollere. Tamen hanc arduam rem melior, & facilius judico auferre multas, si non plurimas discrepantias inter textum Hebræum V. T. & versionem LXX. quam colligere folia Sibyllæ. Ut enim Cicero *de offic. l. 40.* ait, *ut in fidibus, aut in tibiis, quamvis paululum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet:* Sic per multis in locis dicendum est de LXX interpretibus, etiamsi discrepant, vel discrepare videntur a textu Sacro, tamen sæpissime conciliari possunt. Deo igitur auctore, Christo ductore, Spiritu que Sancto consultore ac impulso, hoc negotium suscipio, ut, quantum fieri potest, tollam discre-

crepantias illas, quæ videntur esse inter textum Hebræum seu originalem V. T. & versionem græcam LXX. virorum. Fateor, hoc esse factu difficile, & confiteor lubenter, vires meas esse multo debiliores, quam ut hoc opus sustineant, aut perficiant: irrumpam tamen per enses & ignem, imo quamvis campus, in quo versor, certe spinis & vepribus haud exiguis sit confitus, tamen, pro virili in hoc adlaborabo negotio, & sibilantibus fortean nonnullis in me Zoilis, non metuum frontem Catonianam, aut linguam Timonianam, neque reformidabo nasum istorum nugivendulorum, qui more vitiligatorum & obstrigillatorum semper invidia laborant, & de aliorum labore perpetuo acerbe, aspere ac contumeliosissime solent loqui. Deus spero cœptis & conatibus meis secundabit, quoniam satis mihi persuasus sum, me non inutile agere negotium.

Quamvis enim Versio LXX. interpretum non sit authentica, aut ejusdem auctoritatis, ac Hebræa veritas, quam semper inculpatam defendimus, nemo tamen jure negare potest, maximum ejus esse usum ad intellectum Veteris & Novi Testamenti, imprimis si cum ipso textu Hebræo ac sacro sedulo & accurate conferatur. Hinc nobilem hunc antiquitatis thesaurum, qui apud multos hodie non est in eo pretio, quo debet, semper magni æstimavit Ecclesia vetus Christia

na, quod ex testimonio Augustini, aliorum-  
 que virorum præstantium luculentissime,  
 constat. Adscribam hic Augustini verba,  
 quæ leguntur in libro de Civ. Dei, l. 18. cap.  
 43. ubi ita satur, nam cum fuerint & alii inter-  
 pretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra illa  
 eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus,  
 Theodotio: licet etiam illa est interpretatio, cujus  
 auctor non apparet, & ob hoc sine nomine inter-  
 pretis quinta editio nuncupatur, hanc tamen quæ  
 septuaginta est, tanquam sola esset, sic recipit  
 Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani  
 quorum plerique utrum alia sit ignorant. Ex hac  
 septuaginta interpretatione etiam in Latinam lin-  
 guam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latine  
 tenent. ( respicit forsan illam latinam ver-  
 sionem, quam alibi vocat Italiam, quamque  
 Hieronymus ipse appellat Communem & Vul-  
 gatam, & quam deinde Gregorius M. no-  
 minabat Veterem, quia reliquis antiquior  
 erat, & in Ecclesia latina maxime in usu;  
 unde patet ante Hieronymi tempus existisse  
 illam versionem vulgatam Latinam, quæ an  
 eadem sit cum hodierna vulgata a Concilio  
 Tridentino pro authentica declarata, aliorum  
 iudicio relinquo ) Quamvis non defuerit, tem-  
 poribus nostris Presbyter Hieronymus, homo do-  
 ctissimus & trium linguarum peritus, qui non  
 ex Græco, sed ex Hebræo in latinum eloquium eas-  
 dem scripturas convertit. Sed ejus tantum lite-  
 rarum laborem, quamvis Judæi fateantur esse

veracem, Septuaginta vero Interpretes in multis errasse contendant, tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice, (cujus epistolæ responsoriæ ad Ptolemæi Philadelphi epistolas super hac re exstant apud Josephum antiq. jud. lib. 12. cap. 2.) ad hoc tantum opus electorum neminem judicans præferendum, quia etsi non eis unus apparuisset Spiritus sine dubitatione divinus: sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis unus interpretis debuit anteponi. Cum vero tantum in eis signum divinitatis apparuit, profecto, quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpretis est verax, aut congruit illis septuaginta interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo tibi prophetica esse credenda est, Spiritus enim, qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in septuaginta viris, quando illa interpretati sunt, - - - Nonnulli autem codices Græcos interpretationis septuaginta ex Hebræis codicibus emendandos putarunt, nec tamen ausi sunt detrabere, quod Hebræi non habebant, & septuaginta posuerunt. Sed tantummodo addiderunt, quæ in Hebræis inventa, apud LXX. - - - Quicquid vero est apud LXX, in Hebræis autem codicibus non est, per istos maluit, quam per illos idem Spiritus dicere sic ostendens utrosque fuisse prophetas. - - Quicquid porro apud, utrosque invenitur per utrosque dicere

*voluit unus atque idem Spiritus, sed ita ut illi, (scil. Jesaias, Jeremias, aliique prophetæ) præcederent prophetando, isti sequerentur propheticè illis interpretando.*

Patet ex his verbis Augustini, in quantum temporis auctoritate fuerit versio LXX. virorum, imo constat etiam quantam invidiam, quanta odia, quantas obtreccationes & calumnias D. Hieronymus hac de causa sustinuerit, quod LXX. Græcorum versionem, quæ tum passim obtinebat, ad veritatem, Hebræam examinare & juxta eam corrigere tentarit & præsumpserit. Et quamvis allegatio Apostolorum non faciat, ut hæc τῶν ὁ versio græca sit authentica, imo licet ipse Augustinus illorum, virorum Alexandrinorum non immunem a corruptelis faciat, ut *lib. 15. cap. II, 12, 13. de civit. Dei* videre est, quæ corruptelæ sæpe scribis & librariis sunt attribuendæ, magno tamen in pretio habenda est hæc græca Virorum LXX. versio, quam Ecclesia vetus semper, ut insigne æstimavit κειμήλιον: quod exinde patet, quia Christus & Apostoli ut & alii Apostolici viri, hanc versionem sæpe in suis sermonibus ac scriptis allegarunt. Uti suis locis speciatim ostendam, non tantum ubi, & quæ loca Apostoli ex hac versione τῶν ὁ allegarunt, sed etiam annotabo plurima loca quæ post Apolos alii patres, præsertim Clemens in epistola ad Ecclesiam Corinthiorum, scripta ante

ante a Tito destructam urbem Hierosoly-  
mam, ex hac versione Græca ad ædificatio-  
nem Ecclesiæ Christi produxere.

Non disputabo jam, an authenticum ex-  
emplar versionis virorum vulgo dictorum  
LXX. adhuc existet, an combustum sit cum  
palatio & bibliotheca Ptolomæi, ut Schin-  
dlerus judicabat in Lexico pentaglotto in vo-  
ce עב זקנים, pag. m. 1973. ubi ita scribit, העזיקו התורה לתלמי מלך מצרים ומלך יו  
*Septuaginta duo seniores transtulerunt legem Pto-  
lomeo regi Egypti & regi Græciæ. Non totam  
scripturam occupavit ille, sed legem solam ei tra-  
diderunt interpretes, qui ob hoc Alexandriam  
missi fuerant: ita ex Josepho tradit, Ergo, di-  
cit, tantum חומש seu quinque libri Mosis a LXX  
translati fuerunt ex lingua Sancta in Græcam.  
Et ipsorum versio periiit, cum bibliotheca Pto-  
mæi combureretur a Pompeji exercitu. Non se-  
quitur tamen, omnia exemplaria descripta  
periisse. Credo enim cum variis viris doctis  
tempore Ptolomæi Philadelphi non a LXXII.  
sed a quinque viris, Hebræam & Græcam  
linguam callentibus, non quidem immedia-  
to afflatu Spiritus Sancti, attamen non abs-  
que speciali providentia divina, primo trans-  
latum esse pentateuchum, unde versio illa in  
tractatu Talmudico סופרים, seu de scribis,  
cap. 1. sect. 7. vocatur opus quinque Seniorum,  
ita enim dicunt Rabbini, מעשה בהמשרה  
זקנים*

זקנים ושכתבו לתלמי המלך את התורה  
 יונת, i. e. opus quinque Seniorum, qui scripse-  
 runt Ptolemao regi legem Græce. Et hæc versio  
 quinque librorum Mosis tradita Synedrio  
 LXX. virali Alexandrino, ab eoque exami-  
 nata ac approbata, postea versio τῶν ὀ, seu  
 LXX interpretum est appellata. Deinde a  
 diversis aliis viris doctis diversisque tempo-  
 ribus reliqui libri Sacri historici & prophetici,  
 ut & qui αἰγιόγγραφα dicuntur, sunt transla-  
 ti, uti ex variante stylo quilibet græcæ linguæ  
 haud omnino imperitus facile colligere po-  
 test. Vide de hac re prolegomena Doctiss.  
 Lamberti Bos cap. I. edit. LXX interpr. ubi  
 quoque ostendit, quam magnam utilitatem  
 hæc versio græca habet non tantum ad recte  
 intelligendum Novum Fœdus, verum etiam  
 ad indagandum verum Spiritus Sancti sen-  
 sum in codice Hebræo V. T.

Et licet non concedere possim Drusio,  
 aliisque hanc versionem illorum virorum, e  
 qua tot loca adhuc in N. T. allegata leguntur,  
 vel periisse, vel plane corruptam esse, non  
 tamen defendo eam incorruptam ad nos ve-  
 nisse, successu enim temporis multi navi  
 irrepsere proculdubio negligentia & incitia  
 variorum librariorum, ut Doctiss. L. Bos cap.  
 3. prolegom. ostendit.

Cum ergo Lector percurrat versionem  
 LXX interpretum, prout hodie extat, in-  
 que

que ea deprehendat aliquando magnas discrepantias a textu sacro, circa consonantes, voces, totasque sententias & periodos, quomodo sæpe textui Hebræo quædam videntur addita, detracta, transposita, vel perperam reddita, non statim concludat, Viros illos inique egisse in interpretandis sacris bibliis, sed cogitet, quæ ratio fuerit discrepantiarum, quidque Græcos illos ad diversam interpretationem adegerit. Solenne enim fuit Græcis interpretibus, cum apud Hebræos vox, vel verbum aliquod variam obtinet significationem, alteram pro altera ponere. Sic *Gen. 50: 3.* idem verbum  $\text{לָמַד}$ , quod *impleri* notat & ex usu Hebræorum per *numerari* potest verti, LXX viri modo per  $\text{πληρῶσθαι}$ , *impleri*, modo per  $\text{καταριθμῆσθαι}$ , *numerari* ibi vertunt. Et alibi idem verbum vertunt per  $\text{γέμειν}$ , etiam per  $\text{τολμᾶν}$ ,  $\text{φθείρεσθαι}$ ,  $\text{τελειῶσαι}$ , ut suo loco dicitur:

Aliquando phrales tropicas proprie, & locutiones proprias & simplices figurate reddiderunt, cujus rei Augustinus exemplum ostendit. *Jon. 3: 4.* de quo in commentariis meis ad illum prophetam plura dicam, vide *August. de civ. Dei lib. 18. cap. 44.*

Sæpe vocabula hebræa ex usu vicinarum linguarum vel dialectorum orientalium latiore significatione accipiunt, quam hodie vulgo nota est. Ubi notanda est sententia R. Azariæ, LXX interpretes in sua translatione

O 5

sæpe

sæpe usos fuisse Chaldaica paraphrasi, de qua  
fufius legi potest apud Buxtorffium, *de punct.  
antiq. & orig. part. I. cap. 9.* Quam senten-  
tiam non quidem amplector, quia Versio  
Græca prior fuit chaldaica, & textus Græcus  
magis convenit cum Hebræo, quam cum  
omnibus paraphrafibus, aut cum versione  
Samaritana: tamen ex usu chaldaicæ linguæ,  
tunc magis notæ, multa vocabula explicari  
possunt. ut *Jes. 53: 10.* & alibi.

Adde, quod in ipsis græcis vocabulis  
sæpe reconditoris eruditionis usum specta-  
runt, quam hodie notus est.

Aliquando ellipses Hebraicas suppleant,  
aut pleonasmos omittunt, ut *Psalm 1: 5.*  
*Pf. 51: 6.* *Pf. 144: 8.* & alibi.

Sæpe de verbis non adeo solliciti, sen-  
sum tantum ipsis commodum visum expri-  
mere voluerunt: uti & Apostoli & Apostoli-  
ci viri in allegandis locis ex hebræo & græco  
textu V. T. non semper eadem sermionum ve-  
stigia calcarunt, dummodo a scopo aut a sen-  
tentiis non recederent, & sensum verum  
exprimerent, adeoque hi interpretes sæpe  
non ut interpretes; sed ut paraphrastæ sunt  
considerandi. Exinde tamen non sequitur  
eos interpretes errasse, aut male egisse, alias  
idem de Apostolis, & de Apostolicis viris,  
ut & de Clemente, aliisque piis ecclesiæ do-  
ctoribus dicendum esset. Vide quæ Calvi-  
nus noster scripsit ad *Matth. 2: 16.*

Hæc & multa alia, quæ brevitatis causa jam supersedeo, si bene attendantur in collatione utriusque textus, dissensus, si non plane tollatur, multo minor deprehenditur, quam prima specie videbatur, saltem apparebit tot disconvenientias aut discrepantias non esse a textu Hebræo, quantum multis videtur. Unde Augustinus *de Civ. Dei lib. 18. cap. 44.* quoque dicebat, *in quibus ab Hebraica veritate putantur septuaginta interpretes discrepare, & bene intellecti inveniuntur concordēs.*

Ex. gr. *Hof. 4: 14.* in hebræo textu legitur  
 כִּי-הֵם עִם-הַזְנוּת יִפְרֹדוּ וְעִם-הַקְדָּשׁוֹת יִזְבְּחוּ.  
 i. e. quia illi cum scortis segregantur, & cum scortis, vel, prostibulis publicis, sacrificarunt. Ubi Aben-Esra distinguit inter זונה i. e. meretrix, & קדשה i. e. prostibulum publicum, quod cuilibet obvio se prostituit: quare Belgæ nostri hic etiam distincte dicunt, *want zy scheiden zig af met de hoeren, en offeren met de snodeste hoeren.* Hæc verba in versione τῶν ὁ jam ita leguntur, Ὅτι αὐτοὶ μετὰ τῶν πορνῶν συνεφύγοντο, καὶ μετὰ τῶν τετελεσμένων ἔθυσον, i. e. quia illi cum scortis commixti sunt, & cum initiatis sacrificarunt. Primo intuitu videtur hic duplex dissonantia, quia in primo comate separari & misceri contraria videntur: sed propheta hic per metonymiam honeste antecedens ponit, pro quo Græci interpretes hic consequens, seu rem ipsam impudicam  
 ex-

exprimunt, adeo ut in re ipsa non discrepent, nam qui segregatur cum scortis, in animo habet se cum illis miscere. Deinde quando altero commate dicunt μετὰ τῶν τετελεσμένων ἑθρον, cum initiatis sacrificarunt, etiam non discrepant a textu sacro, quia נישתק̄ erant publicæ meretrices Veneri Sacræ, priapoque mancipatæ, adeoque recte dictæ τετελεσμένοιαι, initiata, quasi ἱερεῖς, vel Sacerdotes Veneris, vel Veneri Sacræ, uti sic apud gentiles tales τετελεσμένοιαι vel publicæ meretrices vel Sacerdotes Veneris erant, quæ ante idola prostituebantur, virginitatis imminutæ pretium diis suis, primitiarum loco, offerentes, persuasæ oblatione illa meretricia Deos placari, sibi que propitios reddi, ut Spence-  
 rus ex Ambrosio, Herodoto, aliisque scriptoribus demonstrat, de legib. Hebr. lib. 2. cap. 22. pag. 406, 407. ad tales publicas Venerique sacras mulieres respicit auctor epist. Jeremia seu Bāruch. cap. 6. vs. 43. αἱ δὲ γυναῖκες περιδέμεναι ἄρνιᾶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκαθίστασθαι, θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. &c. Sic enim Herodotus hunc impudicum Babyloniorum morem fusius exponit lib. 1. cap. 199. Una iisdem Babylonis Lex est, omnibus modis execranda: nempe omnibus mulieribus indigenis commune est, semel in vita ad Veneris templum desidentibus, (unde prostibula Plauto dicuntur pro sede Poenul. act. 1. sc. 2. vs. 54. qui juxta vias sedebant, confer Jerem. 3: 2.) cum externis viris consue-

tudi-

itudinem habere. - - Ad templum Veneris sedent,  
 nodis corollisque tempora revinctæ, e quibus dum  
 aliæ seorsim abeunt, aliæ egrediuntur &c. Et  
 quid sit *ῥυμιῶσαι τὰ πίτυρα*, quod vulgo ver-  
 titur ad succendendum *furfures*, seu *placentu-*  
*las* ex hordeo aut alio farris genere paratas,  
 quas diis deabusque immolabant alienæ a  
 Christo mulierculæ, non melius intelligitur  
 quam ex Theocrito, qui in *Φαρμακείτεια*, id.  
 2. docet, esse genus incantamenti amato-  
 rii, ad conciliandos amores adhibitum: ibi  
 enim *Simoetha* venefica, quæ Delphidem ju-  
 venem deperibat, dum illum carminibus ma-  
 gicis ad se trahere conatur, *νῦν* inquit *ῥυσῶ*  
*τὰ πίτυρα*, nunc *furfures* sacrificabo. Et diser-  
 tim fatetur *Simoetha* sub idyllici finem hu-  
 jusmodi incantationes se ante ab Assyrio seu  
 Babylonio hospite didicisse: & hæ artes erant  
 illæ, quas auctor hujus epistolæ Judæis Ba-  
 bylone degentibus cavendas præhortatur.

Sic non adeo longe a textu sacro rece-  
 dunt LXX interpretes, cum *למלך* interpre-  
 tantur *τῷ ἀρχόντι*, principi ut *Levit. 18: 21.*  
 ubi *למעביר למולך* ad traducendum *Moloch*,  
 LXX vertunt *λατρεύειν τῷ ἀρχόντι*, ad servi-  
 endum principi vel duci. Et sic *מלכום* *Mil-*  
*com*, quod cum *מלחמנתי* idem est ac  
*מלך*, *1. Reg. 11: 5.* in quibusdam exempla-  
 ribus *τῶν ὀ* vertitur *μελχώμ*, in quibusdam  
*βασιλεύς*, rex. at *2. Reg. 23: 10.* *למולך* ver-  
 tunt

tunt τῷ μολὸχ. Et quid mali in hac interpretatione? an idcirco dicendum est, illos interpretes non bene calluisse linguam Hebraeam ejusque grammaticam? ut Joh. Leusdenius annotat in *philologo Hebr. mixto diff.* 4. pag. 30. ubi dicit. Græcos interpretes putasse, מלך esse participium verbi מלך cum מולך למוך vertunt λατρεύειν ἄρχοντι. Ego judico Græcos interpretes in re ipsa non discrepare a textu sacro, nec male egisse, cum voci מלך, *Molech*, vel *Moloch* principis vel regis significatum tribuant, eamque quandoque ἄρχοντι, quandoque βασιλέϊ vertant. Nam primo certum est, quod מלך, *Molech* est a verbo מלך *regnavit*; deinde notum est, quod Sol ut summus Deus, ac βασιλεύς seu ἄρχων, *Rex* aut *Princeps* cultus sit ab omnibus fere populis Orientalibus, sub variis nominibus, apud quosdam dicebatur *Mithra*, ut apud Persas, & Ægyptios, apud quos etiam dicebatur *Osiris*: sic apud alios *Adonis*, *Bel*, *Belus*, *Dis*, ζεὺς, *Orus*, etiam Ὀσιρις ἄναξ, *Osiris Rex*, &c. & uti Cicero dicebat, quod Sol erat *dux & princeps & moderator Luminum reliquorum*, sic Phœnices ipsum vocabant θεὸν μόνον οὐρανοῦ κύριον, sic Trismegistus dicebat, Ἡλίου θεὸς μεγίστος τῶν καὶ οὐρανοῦ θεῶν, ὃ πάντες εἰκουσιν δι' οὐρανόιο θεοὶ ὡσανεὶ βασιλεῖ καὶ δυνάσει Sic ab aliis dicitur *Dominus*, βασιλεύς, Δεσπότης, κύριος, &c. uti & apud Moabitas מלך, *Baal*, unde בל, *Bal*, בַּל, βῆλ, βῆλος, i. e. *Dominus*, & מלך בל *Dominus cæli*, sic apud

apud Ammonitas quoque idem Sol, ut sum-  
 mus Deus cultus, dicebatur מולך, vel  
*Moloch*, i. e. *Rex*, vel *Princeps*, eadem ergo  
 res, quæ hebraica locutione dicitur להעביר  
 למולך *ad traducendum Molocho*, a LXX. in-  
 terpretibus exprimitur per λατρεύειν ἄρχοντι,  
 quia cultus Solis apud Ammonitas non so-  
 lum, sed apud plurimas fere gentes etiam  
 in eo fitus erat, ut offerrent suos filios Soli,  
 ἄρχοντι, ac regi omnium. Vide quæ plura  
 de hac re scripti in *comment. meis Belg. ad Ruth.*  
*cap. I: 14-17.*

Sic videntur ὁὶ ὁ discrepare, Hof. 4: 3.  
 וְגַם דְּגַי הַיָּם יִאֲבֹוּ & *etiam pisces maris colli-*  
*guntur*, cum vertunt, καὶ οἱ ἰχθύες τῆς θα-  
 λάσσης ἐκλείψουσιν, & *pisces maris deficient*, sed  
 revera non dissonant, nam quæcumque colli-  
 guntur, inde, ubi colliguntur, deficiunt. Unde  
 Luth. quoque vertit, u. die Fische im Meer wegge-  
 rast werden / uti & Belgæ quoque dicunt, ja oock  
*de vischen der Zee zullen weggeraapt worden*: ubi  
 in notis dicunt, *eigentlyk*, nempe secundum  
 verbum Hebr. נָאָ) *versameldt*; sed expli-  
 cant recte per *vergaan*, *sterven*, *samengeraapt*  
*en wegge worpen worden*. Sed de hac re plura  
 dicam ad *Pf. 26: 9.*

Sic proposui totum percurrere Vetus Te-  
 stamentum, conferre textum Hebræum cum  
 Græca versione τῶν ὁ, & auferre, ubi fieri  
 potest, omnes discrepantias inter utrumque  
 tex.

textum; Notabo interim ubique, quæ vere discrepant, ut Hebræa veritas semper eluceat, dominetur ac triumphet, unde patefcet, Græcos interpretes sæpe etiam lapsos esse, ut hominibus plerumque evenit. Et quoniam jam tot dantur variæ lectiones, ut ex editione Lamberti Bos patet, eas ubique inspiciam. Imo videbis, Lector, me ubique etiam cum hac versione græca contulisse Fragmenta Aquilæ, Symmachi, Theodotio- ni aliarumque versionum, quæ a Doctissimo Drusio edita sunt. Speciatim quoque inspexi editionem Hamburgensem τῶν ὀ. Et licet Doctiff. Viri L. Bos, in suis prolegome- nis & Joh. Alb. Fabricius in Biblioth. græca, lib. 3, cap. 12. annotent, quomodo omnes Editiones τῶν ὀ ex tribus præcipuis profluxe- runt, scil. ex Complutensi, Aldina, & Roma- na; ex Aldina, Ao. 1518. ab Aldo Manutio edita, tradunt hi Viri, manasse, has editiones, Basileensem gr. 1545. in fol.

Argentinensem gr. 1526. 3. vol. in 8.

Basileensem gr. lat. 1550. & 1582. 4. vol. in 8.

Francofurtensem gr. cum schol. 1597. in fol.

Hamburgensem, in Bibliis quadrilin- guibus Davidis Wolderi 1596. 4. vol. in fol.

Hanc ultimam, quam quoque possideo, semper etiam contuli cum variis lectionibus  
a L.

a L. Bos ad suam editionem ex Aldina notatis, & comperi, illam Hamburgensem editionem, etiam si ex Aldina manavit, tamen variis in locis ab Aldina valde differre. Ex. gr. *Hof.* 13: 3. verba כָּמוֹן יָסַר מִן in Aldina sic vertuntur, ὡς χυοῦς φυσώμενος: at in Hamburgensi, uti & in Complutensi, legitur καὶ ὡς εἰ ἀχνὴ ἀποφυσωμένη. Sic 2. *Parab.* 20: 6. in Hamburg. legitur οὐκ ἐστὶ παρὰ σοῦ τοῦ ἀντισηναί σοι, sed ultimum illud σοι, quod procul dubio redundat, in aliis non legitur. Plura suis locis notabo.

Ex prolegomenis L. Bos Lector discere potest, quid notæ & literæ in allegando significant, tamen nonnullas hic notabo.

οἱ Ὅ, vel LXX. i. e. *Septuaginta Interpretes*, qui Vetus Test. ex Hebr. in Gr. ling. vertebant, Alexandria in Ægypto tempore Ptolemæi Philadelphi Ao. ante Christum 267. secundum Calvisium.

A. vel Aq. i. e. *Aquila*, Sinope Ponti in Asia Minori ortus: unde *Synopæus* & *Ponticus* dicitur. Cum esset gentilis baptizatus est Ierosolymis. Deinde defecit ad Judæos: quare *Judeus*, *profelytus* & ἀπο ἀρῆς dicitur. In vertendo Vet. Test. ex Hebr. in Gr. ling. non solum verba, sed Etymologias verborum transtulit, dicit Hieronymus. Floruit sub Hadriano, Ao. Christi 129. secundum Drusium.

S. vel Sym. i. e. *Symmachus*, dicitur Samaritanus, & a Judæis circumcifus, ab Hieronimo *Semichristianus* & *Ebionita*. Interpretatus est V. T. ex Hebr. in Gr. ling. sub Severo imperatore, Anno Christi 185. Juxta Petavium sub Lucio Vero.

⊙ vel Th. i. e. *Theodotio*, dicitur ejusdem sectæ vel dogmatis cum Symmacho, ortus Epheso in Jonia, ergo Ephesius non Ponticus. Vet. Test. quoque græce transtulit. Quidam ante, quidam post Symmachum eum vixisse dicunt, alii ipsum referunt ad Annum Chr. 186.

Hieronimus dicit, *isti Semichristiani, (Symmachus & Theodotio) judaicè transtulerunt, & Judæus Aquila interpretatus est ut Christianus.*

V. i. e. *Quinta versio* græca Vet. Test. cujus auctor ignoratur: dicitur reperta sub imp. Antonino Caracalla, filio Severi, dolio inclusa in urbe Jericho, Anno Chr. 219. ut Drusius ex Theodoretō notat. vide quoque Eusebii hist. eccles. l. 6. c. 17.

VI. i. e. *Sexta versio* græca Vet. Test. cujus autor quoque ignoratur: Inventa refertur Nicopoli apud Actium sub Alexandro Mammæo imp. Anno Chr. 228. vide Euseb. hist. eccles. l. 6. c. 17.

Hinc Origenis Hexapla & Octapla, in Hexaplis videntur sex columnæ distinctæ, in 1. textus Hebræus hebraicis, in 2. textus

tus Hebræus græcis literis, in 3. versio Aquilæ, in 4. Symmachi, in 5. τῶν δὲ, in 6. Theodotionis.

Et in Octaplis sex illis columnis adhuc duæ accedunt, in una versio, V. & in altera versio VI. exhibetur: versioni V. præfigitur E, index numeri quinarium, & versioni VI. Epifignon s, nota numeri senarii, occurrit hæc nota sic in inscriptione tempore Vespasiani, apud Sponium inscript. part. I. p. 124.

Ald. i. e. Aldina editio versionis LXX.

C. vel Comp. i. e. Complutensis editio versionis LXX.

Rom. vel Vat. i. e. Romana editio versionis LXX.

Hamb. i. e. Hamburgensis editio versionis LXX.

Hæc sunt, Benevole Lector, quæ mihi erant προομιαιζόμενα. Aggredior hoc opus anno ætatis meæ quadragesimo sexto, & initium facio a Psalmis, deinde, si Deo placeat, percurram Salomonis scripta sancta, tum libros Moïsi, & tandem Prophetarum vaticinia librosque historicos: Sed an hæc omnia absolvam, Deus novit. A Psalmis lubet incipere, quia inter omnes varios interpretes Græcos totius Veteris Test. qui hos sacros hymnos interpretati sunt, græcæ linguæ haud omnino fuerunt imperiti. Verbo etiam moneo, quomodo Apollinarium, qui

psalmos versibus Homericis composuit, totum huic operi nostro inferui. Accipe igitur hunc meum laborem in tui commodum, & coeptis meis faveto. Si æquum cenforem agas, gratias agam & libenter respondebo; at si mordicus me insecteris, vel iniquiorem Momum te præbeas, nunquam respondebo, sed omnes tuas cavillas facili animo feram, furdisque auribus bibam, quia tempus cavillando terere nolo. Meliora si habeas, ac proferas non invidebo.

*Divisio veteris Test. præsertim Psalmoreum.*

**N**otum est, quomodo totum Vetus Testamentum, a Judæis veteribus acrostichide, seu tribus hisce literis תנך notatum, in tres partes divisere, scil. in תורה, *legem*, נביאים, *prophetas*, & כתובים *Hagiographa*. Quamque divisionem Sospitator noster non videtur improbare, quando Luc. 24: 44. dicit, *omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis, & in Prophetis & in Psalmis*. Ubi tunc psalmi accipiuntur pro ea parte, quæ *Hagiographa* comprehendit, quorum psalmi ordine sunt primi: hi enim sunt duodecim illi libri, qui כתובים seu *hagiographa* dicuntur, *Psalmi, Proverbia, Job, Canticum canticorum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, volumen Esther, Daniel, Esdras, Nehemias, Chronica*.

A Psalmis incipiens, totum psalterium  
ite.

terium in quinque libros divisum est, inter quos quinque psalmorum libros & quinque libros Legis talis instituitur harmonia, ut Lightfoot annotat. *in Erubim cap. 44. oper. tom 1. p. 221.*

**בראשית** seu *Genesis*, liber primus Mosis exponit, quo pacto felicitas amissa sit, per ipsam Adami ambulationem consilio serpentis & mulieris.

**Liber primus** psalmorum statim in initio exponit, quo pacto felicitas queat recuperari, si homo non ambulet in consilio improbo, veluti serpentis, & mulieris, diaboli & carnis. Comprehendit 41. psalmos, & clauditur his vocibus **אמן ואמן** Amen & Amen.

**שמות** *Exodus*, secundus liber Mosis enarrat gemebundam Israelitarum afflictionem in Ægypto.

**ספר שני** *Liber secundus* psalmorum, cujus initium est ps. 42. incipit a gemebunda afflictione, ps. 42: 2, 3. Finitur hic liber ps. 72. ubi in penultimo versu extant voces **אמן ואמן** Amen & Amen.

**ויקרא** *Leviticus*, tertius liber Mosis Legislationem explicat, & *Leviticus* appellatur

**ספר שלישי** *Liber tertius* psalmorum incipiens a ps. 73. principio explicat, quanta Dei

quia in illo libro Levi-  
tarum ministeria, sa-  
crificia, leges & omnes  
ceremoniæ enarran-  
tur. Et ob argumen-  
ti materiam vocatur  
quoque hic liber תורת  
כהנים *Lex sacerdotum*,  
vel תורת הקרבנות *lex*  
*oblationum.*

benignitas eluceat ex  
datione Legis. A lege  
enim Dei exclusi erant  
gentiles, at in Judæa  
notus erat Deus Legis-  
lator Israël. Confer, ps.  
75. 76, 77. &c, Finitur  
vocibus אמן ואמן. A-  
men, Amen in fine ps.  
89.

ממדבר וידבר  
*Numeri*, quartus liber  
Mosis recensitionibus  
occupatur.

ספר רביעי *liber quar-*  
*tus psalmorum incipi-*  
*ens a Ps. 90. initium ha-*  
*bet a recensitione totius*  
*arithmeticæ optima,*  
*miserationum scil. Dei,*  
*ps. 90: 1. & dierum no-*  
*strorum vs. 12. Finitur*  
*cum ps. 106. cujus fi-*  
*nis est אמן הללו-יה A-*  
*men halleluja.*

אלה הדברים *Deute-*  
*ronomium*, Liber quin-  
tus Mosis, etiam di-  
ctus משנה, δευτέρω-  
σις, petita ex Deut. 17:  
18. ubi Rex jubetur  
describere משנה תורה  
*iteratam legem.* Est igi-  
tur hic liber postremus  
omnium repetitio.

ספר חמישי *liber*  
*quintus psalmorum, seu*  
*postremus, a ps. 107.*  
*incipiens usque ad fi-*  
*nem, similiter est o-*  
*mnium repetitio, &*  
*finis terminatur voce*  
*הללו-יה halleluja.*

OBSERVATIONES  
IN PSALMOS,

Inprimis in ea Loca , ubi discrepant  
LXX, interpretes Græci a textu  
Hebræo.

Psalmus I.

**A** Pud Hebræos hic psalmus est ἀνεπίγραφος. Hinc pro titulo, in exemplari Complutensi, uti & in editione Hamburg. Bibl. Quadriling. 1596. legitur, Ψαλμός τῷ Δαβὶδ ἀνεπίγραφος κατ' Ἑβραίοις, Psalmus Davidis sine titulo apud Hebræos. Et in Aldina editione LXX. Interpretum, uti & apud Hieronimum in Appendice oper. Tom. 8. hæc subjiciuntur, Δαβὶδ προφήτου ἡ βασιλέως μέλος, i. e. cantus, seu modulatio Davidis prophetae & regis.

Quidam, notante Hieronimo in comment. ad hunc psal. dicunt hunc psalmum quasi præfationem esse Spiritus sancti: & ideo titulum non habere. Alii in eo quod primus sit, ordinis sui habere principium: & πλεονασμῶν esse vitium eum primum dicere, ante quem nullus sit. Porro annotat idem Hieronimus, apud Hebræos & primum & secundum, unum esse

psalmum, quod in actibus Apostolorum quoque comprobatur; nempe, respicit locum Act. 13. 33. ubi pro ἐν ψαλμῷ δευτέρῳ, quomodo scriptum invenimus, dicit Beza, in omnibus nostris vet. cod in unico tamen vetustissimo codice, legitur, τῷ πρώτῳ primo „Et „ apparet, uti addit, ex Hieronimo, Hilario „ & Augustino, quos citat in hunc locum „ Erasmus, vetustiora exemplaria scriptum „ habuisse psal. 1. sive quod psalmus ille, be- „ atus vir, non sit olim proprie habitus pro „ psalmo, sed potius pro ejus libri præfati- „ one: sive quod Psalmus, quem hodie se- „ cundum facimus, unus olim fuerit cum „ primo &c. *Vide Bezae comment. ad act. 13: 33. & Erasmi annotat. ad loc. eundem.* Ve- rum enim vero, quoniam psalmus primus & secundus valde diversi sunt argumenti, & nulla cohærentia inter hos duos psalmos apparet, ideo non possum approbare, quod quidam hunc primum Psalmum cum sequente conjunxerunt.

Tertullianus in libro de spectaculis asserit, hunc psalmum & de Joseph posse intelligi, qui corpus Domini sepelivit, & de his, qui ad spectacula gentium non conveniunt, ut Hieronimus ex eo refert, & uti statim ex Tertulliani verbis patebit, quæ ad v. i. citabim<sup>9</sup>.

Recte Coccejus dixit, quod hic psalmus sit διδασκαλικός, agens de vera beatitudine, & de modo ejus assequendæ. Hinc auctor hujus

hujus psalmi omnes homines hortatur ad studium verbi divini, & cultum veræ religionis, docens, quæ sit vera ecclesia, ea videlicet, quæ relicta impia turba peccatorum verbum Dei amplectitur; imo demonstrans, quinam sit status, quæve conditio tum piorum tum impiorum; pronuntians tandem pios beatos, impios vero miseros.

vs. I. אֲשֶׁר הָאִישׁ ) Piscator vertit, *progressus viri*, supple, *erunt*. Id est *vir ille habebit progressus sive successus*, quia radix est אֲשֶׁר *incessit*, at vertitur quoque *recta incessit*, *felix, beatus fuit*. Maxime in pihel אֲשֶׁר notat non tantum *incedere fecit*, sed & *beavit, beatum fecit, felicem prædicavit*, ut ps. 72: 17. כל-גוים יאשרהו LXX. πάντα τὰ ἔθνη μακαρίουσιν αὐτόν, *omnes gentes prædicabunt illum beatum*, sic in pual אֲשֶׁר *beatus redditur*, ut ps. 41: 3. אֲשֶׁר בְּאֶרֶץ *beatus vel felix reddetur in terra*. LXX, ἡ μακαρίσασα αὐτόν ἐν τῇ γῆ, & in part. pual אֲשֶׁר *beatus est* Prov. 3: 18. Hinc jam אֲשֶׁר quod quidam adjectivum dicunt alii adverbialiter exponunt, *bene, beate*. Vide Buxtorffii Lexic. at quod potius substantivum est in plur. num. in statu constr. *beatitudes, beatitudines*, singularis esset אֲשֶׁר, *beatitudo*, & pluralis rectus seu absolutus אֲשֶׁרִים, *beatitudines*; verum occurrit in bibliis tantum in statu constr. אֲשֶׁרִי, uti & cum affixis. Ad verbum ergo phrasis hebræa אֲשֶׁרִי הָאִישׁ sonat *beatitudes vel beatitudines vi-*

ri illius, scilicet sunt. Id est vere & multis modis  
 beatus est ille vir. Voce enim plurali *beatitudinum*,  
 designari quoque potest aggerata felicitas. Et licet  
 אֲשֶׁר fit substantivum plurale, potest tamen recte  
 exponi per adjectivum, quoniam nihil notius est, quam  
 quod, cum duo substantiva concurrant, prius in  
 statu regiminis ponatur pro adjectivo, ut Prov. 20:7.  
 אֲשֶׁר בְּנֵי beati filii eius, sic 1. Sam. 17:40.  
 & elegit sibi (David) quinque חֲלָקֵי אֲבָנִים  
*lubricitates Lapidum*, i. e. *lubricos lapides*,  
 vide plura apud Glassium in *philolog. sacr.* l. 3. tr. 1. can. 8. vel per hypallagen,  
 quando id, quod adjuncti vel epitheti loco est,  
 praecedit, ut Deut. 12:3. פְּסִלֵי אֱלֹהֵיהֶם  
*sculptilia deorum illorum*, pro *Deos sculptiles*. Vide  
 plura apud Buxtorffium, in *thesauro grammat.* lib. 2. Cap. 3. pag. 346. Et sic hoc loco אֲשֶׁר  
 הָאִישׁ *beatitudines viri istius*, pro *vir beatitudinum*,  
 hoc est, *beatus est ille vir*, uti jam LXX interpretes  
 vertunt, μακάριος ἀνὴρ, *beatus vir*, scilicet est,  
*qui non ambulat in consilio impiorum*, &c. sed *cujus  
 voluntas est in lege Domini*, &c. Talem enim Græci  
 quoque μακάριον ἢ εὐδαίμωνον pronuntiabant,  
 qui virtuti operam dabant, eamque sincere amabant,  
 uti Cebes Thebanus in exegesi tabulae Lyfidis ostendit,  
 pag. 204. edit. Berckelii, unde & Cicero de nat. Deor. l. 1. c. 18.  
 dicebat, *beatus esse sine virtute nemo potest*. Imo *beatitas*,  
 dicebat Apulejus, *virtutum fructus est*. De philosoph. morali

malī, pag. 17. ed. Elmenh. & alibi beatitudo est virtutum exoptatissimus fructus.

Vertuntur porro hæc verba, אֲשֶׁר לֹא הֵלֵךְ a Theod. uti ὁ in V. & VI. edit. gr. sic, τέλειος ὁ νεώτερος ὃς οὐκ ἀπῆλθεν. Hæc descripsi, dicit Drufius, ex editione Romana τέλειος id est, תמים: ὁ νεώτερος הנער. addens, quis credat eos ita legisse.

לֹא הֵלֵךְ, (qui non ambulat) LXX, ὃς οὐκ ἐπορεύθη, qui non abiit. Ita sæpius verbum הֵלֵךְ vertunt per πορεύεσθαι, sic Jes. 33: 15. הֵלֵךְ צְדָקוֹת πορευόμενος ἐν δικαιοσύνῃ, Qui ambulat in iustitiis. Vide Pl. 86: 11. Num. 22: 13. & alibi. Aliquando tamen per περιπατεῖν, ut Eccles. 4: 15. & 11: 9. sed distinguenda sunt hæc verba; nā πορεύεσθαι proprie est proficisci, & περιπατεῖν, obambulare. Aliquando LXX, etiam utuntur verbo ἀνασρέφεισθαι, versari, conversari, ut Prov. 20: 7. מתהלך בתוכו צדיק iustus ambulans in integritate sua, juxta LXX, ὃς ἀνασρέφεται ἄμωμος ἐν δικαιοσύνῃ, innocens qui ambulat, vel versatur in iustitia. aliquando adhuc aliter hoc verbum vertunt, ut suo loco dicetur.

בְּעֵצַת רְשָׁעִים) in consilio improborum, vel ut LXX, habent, ἐν βουλῇ ἀσεβῶν, in consilio impiorum, nefariorum, scelestorum. Apollinarius, ὁ λβιος ὁ πεπόμεναι δυσσεβῶν ἐν βουλῇ, Theod. V. & VI, notante Drufio, habent, ἐν βουλῇ ἀλλοτρίων, i. e. ἰσραῆל alienorum, vel extraneorum, qui non erant de populo Israel,

el, 1. Reg. 8: 41. uti omnes gentiles olim separati erant a communione Dei, & in quorum via populo Dei ire non licebat. Hinc Dominus dicebat, *viam gentilium ne discatis*, vel ut LXX habent, κατὰ τὰς ὁδοὺς τῶν ἔθνῶν μὴ μὴ γθ' ἴτετε, *juxta vias gentilium nolite discere.* Jer. 10: 2. & Levit. 20: 23. dixerat Deus, *custodite leges meas* &c. ἢ οὐχι πορεύσεσθε ἐν οἷς νομίμοις τῶν ἔθνῶν, & *ne ambuletis in statutis gentilium, quos ego expulsurus sum ante vos,* confer Levit. 18: 3. Jes. 8: 11. Ezech. 16: 47.

וְבַדְרָךְ לֹא שָׁטַח לְמַעַן ( & *in via peccatorum non stetit*, οὐκ ἔστη. Non dixit, annotat hic Hieronimus, „ & in via peccatorum „ non ambulavit, hoc quippe impossibile est: „ quia nullus absque peccato, nec si unius „ quidem horæ fuerit vita ejus: nullum sine „ peccato dicit: sed *in via peccatorum non stetit*: hoc est, qui non perseveravit in delicto, sed per pœnitentiam ad meliora conversus est. Stare enim moram indicat & pertinaciam. Hinc Apollinarius quoque dicebat, οὐδ' ἵχνος ἐσηρίξεν ἀλιτροτάτοις κελύθοις, *neque vestigium firmavit scelestissimis viis.* ἀλιτροὺς est *injustus*, ἀδικός, ἀμαρτωλός, πονηρός, *peccator, nocens* &c. & σηρίξεν ἵχνος, est *firmare vestigium, vel gressum*, confer. ps. 40: 3. sic impii peccatores firmant suos gressus malos, quando perseverant in viis suis impuris. Citat hunc locum quoque Tertulianus

lianus in libro de spectaculis fol. 266. i. ubi ait Nam apud spectacula in cathedra & in via statur. Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum & discrimina popularium per proclivum. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad concessum situs, &c.

ובמושב לצים לא ישב: Et in cathedra derisorum non sedit. לצים sunt derisores, belgice Spotters, in sing. לץ derisor, illusor, irrisor. Sycophanta, delator, calumniator, Cavillator, momus, obtrektor, scurra, nequam, cyclopius contemptor scil. Dei ejusque judicii, ita hæc vox ab interpretibus exponitur, a rad. לוי, deridere, illudere. Et quia inde vox מליץ est derisor, ut Job. 16: 20. מליצי derisores mei, & interpres, ut Gen. 42: 23. ubi LXX, ἐρμηνευτής. Job. 33: 23. etiam orator Jes. 43: 27. ומליצין & oratores tui. LXX. ἡγοῦ οἱ ἀρχοντες ὑμῶν, belgæ, en uwe uitleggers, qui tamen במליצי 2. paral. 32: 31. vertunt gezanten. LXX ἐν ταῖς ὑπερβείαις. idcirco verbum לוי etiam vertitur eloqui, interpretari, dirigere sermones & argutationes, imo in utramque partem, in bonum & in malum sensum exponitur, per illudere, & eloqui: quia & illusores & interpretes plane & eleganter loqui student; interpretum & oratorum est ornate loqui, unde & מליצה interpretatio, elocutio, elegantia, & דלצה, oratio, rhetorica, qua quid eleganter dicitur, ab hoc verbo quoque descendunt:  
Et

Et sic illuſorum aut ſycophantarum & calu-  
 mniatorum eſt callide & ſubtiliter loqui, affa-  
 breque compositis verbis ad fallendum, uti  
 fucō ac fallaciis, fucareque ſermones ſuos  
 pompa facundiæ, imo *πραῶς διαλέγεσθαι*,  
 blande & benigne loqui, & tegere mendaci-  
 um fucōſis ac ſplendidis verbis, unde locus  
*Prov. 14: 9.* אִישׁ יִיץ אֵילִים a quibus-  
 dam ſic exponitur, *ſtulti*, vel *quilibet ſulto-  
 rum* ornatis verbis oratorum more *tegit & ex-  
 cusat delictum ſuum*, h. e. apte *fucat, palliat,*  
 imo *exornat ac colorat*: os enim impiorum  
 tegit iniquitatem, *Prov. 19: 28.*

Vertitur aliquando hæc vox יִיץ a LXX.  
 interpretibus *ἀλαζών*, ostentator, *ἀσεβής*, im-  
 pius, *nefarius*, *ἀκόλαστος*, vulgo *intemperans*,  
 at etiam *impius, nequam*, teste A. Gellio noct.  
 attic. lib. 7. cap. 11. porro *ὑπερήφανος*, *super-  
 bus*. Vide *Prov. 3: 34. 19: 29. 21: 11.* & alibi.  
 hoc vero loco *בְּמוֹשֵׁב לַצִּיִּים* vertunt ἐπι κα-  
 θέδρα λοιμῶν, *in cathedra pestium*, vel *pestilen-  
 tium* nempe hominum, pro *pestilentibus* enim,  
 dicit Hieronymus, *in hebræo delusores* habet:  
 quod scilicet omnes discipulos per *versus* doctor  
 illudat. Sic Tertullianus, hunc locum citans,  
 ait, *Et in cathedra pestium non sedit.* Lib. de  
*specta. fol. 266. H. edit. Paris. 1545.* Et lib.  
 2. adv. Marcion. fol. 66. habet, *in cathedra pesti-  
 lentium.* Λοιμὸς proprie est *pestis, contagium,*  
*corruptio.* Et quicquid rem aliquam aut ani-  
 matam

matam aut inanimatam pessundaret vel pro-  
 fterneret pestem vocabant veteres. Et me-  
 taphorice, uti hic apud LXX. λοιμός notat  
 virum pestiferum & sceleratum; sic λοιμός  
 ἀνὴρ καὶ φθόρος, dicit Thomas Magister ὀνο-  
 ματ. ἀττικ. pag. 114. edit. L. Bos. 1698. ubi ex  
 Aristide citantur λοιμοὶ καὶ φθόροι πόλεως, i. e.  
 ut Cicero, *pro Rab. perduell. cap. 1.* loquitur,  
*pestis ac perniciēs civitatis.* Hinc Philiscus Æ-  
 ginensis auditor Diogenis Cynici, qui Ale-  
 xandrum M. literas docuit, ad Alexandrum  
 aliquando dixit δόξης φρέντιζε, ἀλλὰ μὴ ἔσο  
 λοιμός, καὶ μὴ μεγάλη νόσος, ἀλλὰ εἰρήνη καὶ  
 ὑγεία, *ad gloriam incumbere: verum ea conditio-  
 ne, ne sis pestis, vel magnus aliquis morbus,  
 sed pax & sanitas, &c.* *Ælian. V. H. lib. 14. cap.*  
*11.*

Et sic irrisores ac fastuosi cavillatores,  
 quique opinione sui elati ut arrogantes ho-  
 mines alios contemnunt, divinasque leges  
 & pios homines ridere ac illudere solent reve-  
 ra sunt λοιμοὶ καὶ φθόροι pestes ac perniciēs  
 generis humani, qui morsu virus habent, fa-  
 tumque in dente minantur, imo qui non  
 tantum mordent dictis, sed corrumpunt bo-  
 nos mores, ac pessundant subvertuntque non  
 domos solum aut familias, aut urbes, sed  
 etiam totas gentes regionesque. Hinc Apol-  
 linarius tales οὐλύ hic vocat *corruptores* vel  
*perditores*, cum ait, οὐδ' ὀλοῆς ἔδρησιν ἐφίξεται  
 ἀνθρώπων, i. e. *neque pernitiosis sedibus sedit*  
 cor-


*corruptorum.* Λυμανής enim est, *corruptor*,  
aut *perditor*: a λῆμη, *pernities*, *noxā*, *exitium*,  
unde λυμάνω, & λυμάνομαι, idem quod φθεί-  
ρω, βλάπτω, *corrumpro*, *ledeo* &c.

Aquila vertit hæc verba, καὶ ἐν καθέδρα  
χλευασῶν, *in cathedra derisorum*, vel *cavillato-*  
*rum*, vel *subsannatorum*, χλευασής, enim est  
*irrisor*, *illusor*, a χλεύη *risus*, *cavillatio*. Sym-  
machus dicit, καὶ ἐν καθέδρα ἐπιθετῶν, *in ca-*  
*thedra molestorum*, vel *impostorum*, in Lexi-  
co veteri, dicit Drufius, ἐπιθέτης, est *impostor*,  
*Stellionator*, & ἐπίθεσις *impostura*, *stellionatus*.  
At in v. & vi. editione græca, a Drufio quo-  
que citata legitur καὶ ἐπὶ καθέδρα παρανόμων, &  
*in cathedra iniquorum*, vel *sceleratorum*, vel  
*legisviolatorum*: παράνομος enim est, *qui con-*  
*tra leges facit*, *improbus*. Et sic □ΥΖ irri-  
*tes* quoque dici possunt παράνομοι, quia divi-  
nas leges ridere solent, quando etiam suis  
cavillationibus ac obtreccationibus contra  
legem amoris Dei & proximi peccant.

בשׁוֹן לֹא) *Non sedit*, LXX εἰς ἐκάθισεν  
Symmachus habet, οὐ κοινοῦνήκεν, *non commu-*  
*nica vit*, vel *particeps fuit*, κοινοῦνεν enim est,  
*communicare*, *participem fieri* vel *esse*, *com-*  
*mercium habere*. Et sic veri cultores Dei ac  
amatores ipsius divini verbi non possunt con-  
fociari aut communionem habere cum tali-  
bus irrisoribus legum divinarum, verum po-  
tius ab istis flagitiosis hominibus,  
eorumque cavillationibus ac malis consiliis,  
imo

imo non inveniuntur in eorum confessibus;  
 quare in v. & vi. editione Græca etiam non  
 malevertitur *ὄυχ ἐυγέθη* id est, dicit Drufius,  
 אָדָנָא אֵל, non inventus est. &c.

*Observationes ad reliquos Psalmi versus sistet se-*  
*quens fasciculus.*



II.

FRIDERICI CHRISTOPHORI  
 NEUBOUR,

Potentissimo M. Britanniaë Regi in Ele-  
 ctoratu Brunsvicensi & Luneburgico  
 à Judiciis militaribus,

STRICTURÆ

*Annotationum Philologicarum*

in nonnulla

NOVI TESTAMENTI

loca.

*Matth. V. 18.*



*ῥῶτα ἐν*) jota non raro abundat in  
 dictionibus Græcis, adeoque fa-  
 cile abesse posset, ut, quando  
 ponitur *κεινὸς* pro *κενὸς*, item  
*ἄτοσι*, *νυτι*, pro *ἄτος*, *νῦν*. Significat apicem  
 III, Fascicul. Q teste

teste Hesychio. Cæcilius hanc literam vocat *pumilionem*, quod omnium & figura & sono fit tenuissima. Verius isto titulo *Jod* Hebræorum salutatur, quod reliquis omnibus manifesto brevius est: ut adeo facile appareat, quare Christus hoc loco dicat *ne jota quidem perituum ex lege*; nimirum ut indicet, nihil omnino, licet minimum, licet superfluum videatur, esse interituum.

Casparus Neumannus in Genesi linguæ Sanctæ, postquam ostendit omnes literas Hebraicas ex meris *Jod* esse compositas, id quod jam observaverat Claudius Duretus, *dans le Tresor de l'histoire des langues*, digreditur ad verba allegata Salvatoris, ostenditque eum affirmasse, nullius literæ *Jod*, sive minimam particulam, perituram, istamque Christi prædictionem impletam esse probat specimine vocis כָּאֵרִי Ps. XXII. 17. ubi ex ultima litera י, in plerisque exemplaribus, inferius (a) *Jod* eradere & כָּאֵרִי efficere Judæi conati fuerint; cum tamen Dei providentia servatum sit, in MSS. quam plurimis, *Van* integrum exhibentibus. Hic an rem-

acu

(a) Non opus est huc dilabi, quin potius cum Altingio, ejusque sequacibus כָּאֵרִי esse Masculinum plurale participii, præsentis in Kal, à radice כָּו, quod notat *sodere*, quasi כָּאֵרִי, ablato וּ finalis, quod passim alibi fit; adeoque Judæos a crimine corruptorum fontium Ebraicorum vindicandos esse, existimamus. T. d. H.

aeu tetigerit aliis :discutiendum relinquo.  
 Conferri omnino meretur *Lightfoot, Hor. Hebr.*  
*in hunc locum.*

*Matth. V. 28.*

*Omnis aspiciens mulierem, ad illam concu-  
 piscendam, jam adulteravit eam in corde suo.)*  
 Durum videtur effatum : sed idem, solius  
 naturæ ductu, gentiles agnoverunt. Iso-  
 crates enim Sophoclem Tragicum conspica-  
 tus, qui puerum, amore captus, prosequen-  
 batur, dixit: ἔ μόνον δεῖ, Σοφοκλεῖς, τὰς χεῖ-  
 ρας ἔχειν παρ' αὐτῶ, ἀλλὰ καὶ τὰς ὀφθαλμοὺς.  
*Non modo oportet manus continere, sed etiam*  
*oculos. Attamen & ipse Isocrates ἐγένετο πρὸς*  
*τὰ ἀφρωδίσια καλαφειῆς. Ut idem Plutarchus*  
*paulo post indicat.*

*Matth. VII. 6.*

*Μὴ δώτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, Nolite dare san-  
 ctum canibus) Illustrari potest hic locus verbis*  
*Isocratis, ex Parænesi ad Demonicum: τὰς*  
*κακὰς εὐποιῶν, ὁμοιωπέση τοῖς τὰς ἀπολείας*  
*ΚΥΝΑΣ ΣΙΤΙΖΟΥΣΙΝ, ἐκείναι τε τὰς δίδοντας,*  
*ὡσπερ τὰς τυχόντας ὑλακίῃσιν, οἳ τε κακοὶ τὰς ὀφε-*  
*λοῦντας ὡσπερ τὰς βλάπλοντας λαδίνῃσι. Si de*  
*malis bene mereberis, idem tibi usu veniet, quod*  
*illis, qui alienos canes pascunt. Nam & hi aequè*  
*allatrant eos qui dant, quam quoslibet: & im-*  
*probi non minus eos, qui ipsis benefaciunt, quam*  
*qui nocent, ledunt.*

Matth. X. 21.

*Siquis propinet uni exiguorum horum ωο-  
 ἴγειον ψυχῆς, portionem frigide, non perdet  
 mercedem suam) Claudius Tiberius Caesar de  
 quaestore quodam candidato inter causas suffra-  
 gationis suæ posuit, quod Pater ejus frigidam,  
 egro sibi tempestive dedisset. Suetonius in Vita  
 Claudii. Hunc locum jam observasse Pri-  
 cæum ab amico admoneor.*

Matth. XII. 12.

*Licet Sabbatibus boni quid facere) de hoc ne-  
 gotio quid ethnici statuerint docet nos Vir-  
 gilius Georg. 1.*

*Etiam Festis quædam exercere diebus  
 Fas & jura sinunt. Rivos deducere nulla  
 Relligio vetuit: Segeti prætere sepe,  
 Insidias avibus moliri, incendere, vepres  
 Balantumque gregem fluvio mersare salubri.*

Matth. XXIII. 23.

*Ἀποδεκαῖτε τὸ ἕδύοσμον καὶ τὸ ἀνηθὸν καὶ τὸ  
 κύμινον) Volebant admodum liberales hac ra-  
 tione videri Pharisei, qui omnia sua quæ  
 possidebant, etiam minima quæque, men-  
 tham, anethum, cuminum & quæ Lucas ad-  
 dit Cap. XI. 42. πήγανον καὶ πᾶν λαχάνον rutam  
 & omne olus, decimarent. Qua propter &  
 hypocrita ille apud Lucam cap. XVIII. 12. tam  
 magnifice jactat suum ἀποδεκαῖω πάντα ὅσα  
 κτῆμα.*

Inter Græcos manifestum habebatur, avaritiæ & sordidi animi indicium, si quis in talibus parcus esset, inde vocarunt hominem præparcum & sordidum *κυμινοπρίστην* veluti qui cuminum dissecare, licet jam satis minutum non erubesceret, nec integrum, granulum dare auderet. Eodem sensu vel parum differenti Silenus apud *Julianum in Cæsariibus* βαβαὶ τῆς μικρολογίας! inquit, εἶς εἶναι μοι δοκεῖ τῶν διαπριόντων τὸ κύμινον ὁ πρεσβύτης εἶσ. Hunc ego senem reor esse aliquem ex his, qui cuminum secant. Et apud Aristophanem in *Σφηξί*, sive *Vespis* haud procul a fine Senex Philocleon filium suum Bdelycleona, qui ipsum, ne in foro semper versaretur & litigando omnia dilapidaret, domi clausum tenebat, ob hanc avaritiæ speciem, *κυμινοπρισσοκαρδαμόγλυφον* iratus appellat, ac si obniam parsimoniam τὸ κύμινον πρίειν καὶ τὸ καρδαμον γλύφειν, *cuminum secare & nasturtium scalpere*, non vereretur.

*Matth. XXVI, 50.*

Ἐταῖρε ἐφ' ᾧ πάρε; *Amice ad quid ades?*)  
 Mira Christi humanitas! qui proditorem, in ipso proditionis actu, Amicum & sodalem appellare dignatur; sive ut moneret, impleri jam vaticinium

Q 3.

nium Davidis : *Amicus meus*, cui me confidebam, qui pane meo vesceretur, pedibus me conculcat Psalm XLII. 10. sive ut pudore confunderet ingratum alumnus. Ita tradiderunt quidam M. Bruto irruenti dixisse Cæsarem : καὶ σὺ εἶ ἐκείνων; καὶ σὺ τέκνον; & tu ex illis es? & tu fili? referente Suetonio in vita Cæsaris. Quam Historiam paulo aliter recenset Xiphilinus in compendio Dionis in Julio Cæsare : λέγεται ὅτι πρὸς τὸν Βρούτῳ ἰαχρῶς πατάξαντα ἔφη, καὶ σὺ τέκνον; Dicitur Bruto fortiter ferienti dixisse : Ἔ tu fili! Conferatur etiam hac de re Plutarchus in Vita Cæsaris.

*Marci I. 4.*

Βάπτισμα μετανόιας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Baptisma penitentiae in remissionem peccatorum*)  
 Βάπτισμα μετανόιας nihil aliud hoc loco significare potest, quam βάπτισμα καὶ μετανόιαν, *Baptisma & penitentiam*. Ita namque in N. Testamento sæpiuscule explicanda veniunt duo nomina substantiva in statu regiminis posita, quæ sibi invicem subordinantur, vel adjunguntur. Sic notissimum illud Danielis & Christi βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως per *abominationem & desolationem* Matth. XXIV. 15. nec non Hebr. IV. 2. λόγος ἀκοῆς per *verbum & auscultationem* recte explicantur. E contrario, non raro per conjunctionem καὶ, ea copulantur, quæ per genitivum exprimentenda erant, exempli causa: Act. XIII. 6. περι-  
 ἔλπιον

ἐλπίδος ἢ ἀναστάσεως νεκρῶν. *de spe resurrectionis mortuorum.* Sicuti vero posterior explicandi modus non ubivis locum habet; ita nec prior. Non raro scilicet duorum Substantivorum, in statu regiminis positorum, alterum, sive prius, sive posterius, per nomen adjectivum exponendum est, id quod infinitis exemplis probat *Glasius Gramm. Sacr. p. 28.*

Cæterum salutarem hanc doctrinam *ἐν βαπτίσματος μετανοίας εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιῶν,* in qua summa Christianorum sita est felicitas, maximumque versatur solatium, blaspheme fugillat Apostata in *Cesaribus*, introducens, sub finem, Constantini filium, una cum Patre, adstantem Afotix & Tryphæ, i. e. voluptatis & deliciarum Dæx, & acclamantem omnibus: *Quisquis corruptor, quisquis homicida, quisquis piaculo aut scelere obstrictus exsecrando; confidens adito! Hac enim eum abluens aqua illico purum exhibebo: ac si rursus eorundem peccatorum reus factus fuerit, dabo, ut pedes tundens & caput feriens iterum purus evadat.* Quasi in externis cerimoniis & afflictionis signis consisteret doctrina Christianorum de Baptismate & Pœnitentia, adeoque voluptatis & peccatorum incitamentum suppeditaret tam facilis ablutio & gestus: eum tamen non sufficiat aqua lavari pectusque & caput tundere, sed requiratur *μετάνοια* hoc est, *mentis mutatio,* At satis acriter refutarunt hanc

inimici Christianæ religionis blasphemiam;  
*Cyrillus Lib. VII. adversus Julianum. Sozom.  
 Hist. Eccles. Lib. III. c. 5. aliique complures,*

*Marci IV. II. 12.*

Τμῖν δέδοται γινῶραι τὸ μυσῆριον τῆς βασιλείας  
 τῆ Θεῶ, ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα  
 γίνεται. Ἴνα βλέποντες βλέπωσι καὶ μὴ ἴδωσι. *Vo-  
 bis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem  
 qui foris sunt, in parabolis hæc omnia sunt, ut viden-  
 tes videant, nec tamen perspiciant*) Sensum hujus  
 loci, qui alioqui paradoxus videtur, clarissime  
 patere arbitror ex iis, quæ de Poëtarum more  
 docet *Plutarchus de Vita Homeri*: Εἰ δὲ δῖ ἀινιγ-  
 μάτων καὶ μυθικῶν λόγων τινῶν ἐμφαίνεται (ὁ Ὀμη-  
 ρος) τὰ νοήματα, ἔχρη παρὰδοξον ἡγεῖσθαι. Οὗτο  
 γὰρ ἀίλιον ποιητικῆς καὶ τῶν ἀρχαίων ἦθος, ὅπως  
 εἰ μὲν φιλομαθοῦντες μετὰ τινος εὐμουσίας ψυχα-  
 γωγούμενοι, ῥᾶον ζητῶσι τε, καὶ εὐρίσκωσι, τὴν  
 ἀλήθειαν, οἱ δὲ ἀμαθεῖς, μὴ καταφρονῶσι  
 τέτων, ὧν οὐ δύνανται συνιέναι. *Quod  
 autem per enigmata & fabulas animi sensus  
 ostendit Homerus, non mirum videri debet. Poë-  
 tices enim hæc ratio est, & prisorum consuetu-  
 do; Ut studiorum quidem amatores, ingenii &  
 animi quadam delectatione deliniti, veritatem  
 facilius & querant et inveniant: Idiota autem il-  
 la non contemnant, quæ intelligere nequeunt.*

*LUCÆ XI, II.*

*Num quem vestrum patrem, filius si panem  
 rogaverit, lapidem ipsi dabit? Per panem intelli-  
 gitur*

gitur bonum quod optatur; Per lapidem, malum, quod infligitur. Sic eodem simili utitur Plautus in Aulularia Act. I. sc. 2. de divite pauperi blandiente.

*Altera manu fert LAPIDEM, PANEM ostentat altera.*

*Nemini credo qui large blandu' sit dives pauperi:  
Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam  
Zamiam.*

**LUC. XII, 45.**

*Ἄρξῃται τὸ πᾶν τὰς παῖδας καὶ τὰς παιδικὰς.*  
*Servus ille incipiat verberare famulos & ancillas)*  
conf. Matth. XXIV. 49. Improbum hunc fervorum morem carpit jam Aristophanes in Comœdia, quam Ἰππῆς inscripsit, personam Cleonis ludens, de quo Demosthenes statim ab initio queritur:

*Ἰαττάται ἀξ τῶν κακῶν ἰάττάται! &c.*

*Heu mala & calamitas! Consiliis suis Dii male perdant pessimum Paphlagonem nuper emtum; ex quo enim domum ingressus est, plagas semper & verbera incutit domesticis. Tali fervo rectissime comparatur, quicumque potestate sua abutitur, id quod Christus fecit locis allegatis, & Julianus in Cæsariis, ubi ipsam Aristophanis fabulam mutato nomine de Claudio lepidissime narrat, illo enim intrante Silenus incipit Hippeas canere verbisque e comœdia supra adductis perstringere Imperatorem, libertis suis adeo addictum, ut magis mancipium, quam princeps ipsorum videri posset: nihi-*

Iominus tam crudelem, ut multos etiam ex familia sua occiderit. Vid. *Suetonius in Vita Claudii.*

*Luc. XXIII. 32.*

Ἐἰπατε τῷ ἀλώπεκι τάουτῃ *Dicite huic Vulpi)*  
 Vulpecula dolosi & astuti animi symbolum  
 semper fuit habita, id quod satis ex Phædri  
 aliorumque veterum fabulis apparet. Ve-  
 spasiano Imperatori miles mercede fraudatus  
 dixit: *Vulpes pilum mutat, non animum*, quod  
 memini sic interpretari *Emanuelem Thesau-*  
*rum, Canocchiale Aristotelico edit. Lat. pag. 50.*  
*Induisti principis insignia, sed avaritiam privati*  
*non exuisti.* Hæc quidem satis argutè; ve-  
 rum metaphoram a Vulpe desumptam non  
 exprimunt, qua militem, magis fraudulen-  
 ter, quam avare secum actum, subindicare  
 voluisse credo. De Pompejo ait Alexander  
 in Cæsaribus Juliani, mirum non esse quod  
 a Cæsare victus sit *δακτύλῳ κρώμενος,*  
*ἢ τὰ ἄλλα Ἀλώπεκος μάλλον ἢ Λέοντος.* *Digito*  
*scalpens & in reliquis Vulpi, quam Leoni, si-*  
*milior.* Quem locum melius intelliges, si con-  
 feras *Plutarchum in Vita Pompeji*, ex cuius in-  
 tegra recensione facile deprehenditur, pro-  
 pterea hunc virum a Juliano *Vulpi similem*  
 dici, quod pleraque sua astute magis & dis-  
 simulanter, quam cordate & fortiter aper-  
 toque Marte gesserit.

Inter Judæos *Vulpes non tantum astu-*  
*tum*

tum significabat; Sed *damnosum* quoque, *periculofum* & *invisum*, uti constat ex *Cantic. II. 15.* & Proverbio Hebræorum: *Vulpem in tempore suo*, i. e. in prosperitate sua *adora*, quod applicat R. Eliezer filiis Israël, cum fratrem Josephum Ægypti Magnatem, iproni adorarent. *Megillab fol. 16. 2.*

*Job. I. 4.*

Ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, *Erat lumen hominum*) Hoc loco pariter ac aliis compluribus *lumen* ponitur pro *salute*. Quæ metaphora non sacris tantum; verum etiam profanis scriptoribus haud inusitata est, in primis *Homero*. Adducam unicum exemplum ex *Iliad. II. v. 6.* Ubi de Ajante Trojanorum aciem perfringente sic canit Poëta:

Τράων ἔηξε φάλαγγα φῶς δ' ἑταροισιν ἔθηκεν

Quod optime reddit Castalion:

*Trojanorum rupit Phalangem lumenque (id est salutem) sociis attulit.*

Ipsa hæc Phrasis Homerica, totidem pœne verbis reperitur Act. XIII. 47. in dicto a Paulo & Barnaba, ex Jesaiæ cap. XLIX. 6. citato: ΤΕΘΕΙΚΑ' σε εἰς φῶς ἐθνῶν. Ubi, ne quid dubii restet, id quod modo Ἰσ̄ five φῶς i. e. *Lumen*, statim ἡγῶν & σωτηρίῳ] h. e. *Salus*, appellatur. Pari sensu, quamvis respectu diverso *Virgilius Æneid. Lib. VI.* mortuos æternæ *saluti* destinatos vocat:

Con-

*Convallē virenti*

Inclusas animas, superumque ad lumē ituras.

*Cicero quoque lucem pro salute ponit orat. pro Leg. Manil. Tantam unius hominis incredibilis & divina Virtus tam brevi tempore LUCEM afferre Reip. potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam, intra Oceani ostium, prædonum navem esse audiatis. Cœterum obiter notamus, cum ipse Salvator aliquoties in hoc capite φῶς salutetur, Johannem Baptistam λυχνον appellari Job. V. 35. scilicet ut ostendatur, talem, Messiam inter & Præcursores differentiam esse, qualis inter solis lumen & facula splendorem reperitur.*

*Job. IX. 20, 21.*

*Novimus hunc filium nostrum esse, cœcumque fuisse. Quomodo autem nunc videat, non novimus; aut quis aperierit ipsius oculos, nos non novimus; Ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de se ipso respondebit.) Non possum persuaderi ut credam, fortuito contigisse, ut in præscriptis verbis, sermonem Parentum cœci istius, quem Christus sanaverat, referentibus, toties eadem verba: Novimus, non novimus, ipse, ipsum &c. repetantur. Potius studio a Sacro scriptore hoc factum & Ethopoeiam subesse crediderim, quo morem confuse loquendi eademque ver-*

verba sæpius iterandi, hominum simplicium  
& timidorum argute exprimeret; eodem fer-  
me modo, quo Ovidius Battum Mercurio  
propriis boves prodentem, fari facit, *Me-  
tamorph. II.* *Sub illis*

*Montibus, inquit, erant & erant submontibus illis,  
quem facete imitatus*

*Risit Atlantiades, & me mihi perfide prodis,*

*Me mihi prodis ait, &c.*

Pari modo etiam loquitur Damon Virgilianus  
*Ecclog. VIII.*

*Crudelis tu quoque mater,*

*Crudelis mater magis, an puer improbus ille?*

*Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.*

His similia quam plurima apud Comicos,  
quorum proprium est Ethos imitari, offen-  
des. Sic in *Plauti Epidic. Act. III. SC. I.*  
Chæribulus amico pecuniam a se petenti  
respondet.

*Verum aliquid, aliquo modo,*

*Alicunde, ab aliqui, aliqua spes est &c.*

Cui socius, cum se hac oratione ludi vide-  
ret, indignabundus respondet:

*Ve ibi muridice homo!*

*Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, ali-  
cunde ab aliquibus blatis,*

*Quod nusquam est.*

*Joh. X. 13.*

*Mercenarius fugit nec oves ipsi cure sunt)*

Quantum curæ mercenario oves sint, exem-  
plo

plō Dametæ, suo commode, oves Ægonis  
pascens, testatur Menalcas Virgilianus Ec-  
log. III.

*Infelix ó semper ovis pecus! ipse (Ægon) Ne-  
eram*

*Dum fovet, ac ne me sibi præferat illa, veretur,  
Hic ALIENUS oves CUSTOS bis mulget in horâ,  
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.*

*Joh. XIX. 34.*

Ἐυθύς ἐξῆλθεν αἷμα, statim exiit sanguis)  
sic Homerus de Venere a Diomede lancea vul-  
nerata Iliad. E.

Ῥέε δ' ἀμβροσίον αἷμα θεοῖο

*Fluebat autem immortalis sanguis Numinis.*

& de Marte ibidem:

Δείξεν δ' ἀμβροσίον αἷμα κατερρέον ἐξ ὠτί-  
λης.

*Ostendit immortalē sanguinem fluentem ex  
vulnere.*

*Act. XIII. 25.*

Bene Lutherus: Ich bin nicht der/ dafür  
ihr mich haltet. Rectius ac in editis exem-  
plaribus Græcis: τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι;  
οὐκ εἰμι ἐγώ. *Quemnam putatis me esse? non  
sum*

sumego. Oratio enim interrogativa incongrua hic videtur, ita, ut τινὰ προῦθινά, & loco nudi commatis, interrogationis signum irrepsisse, non multum absit, quin credam.

Act. XX. 12.

Ἦγαγον δὲ τὸν παῖδα ζῶντα, ἢ παρεκλήθησαν οὐ μετρίως. *Ducebant autem puerum vivum & consolatione non mediocri afficiebantur.* Poterat quidem hæc consolatio oriri ex sermone Pauli, quem in mediam usque noctem produxerat, auditoribus ultimum vale dicens: Melius autem hoc loco τὸ παρεκλήθησαν refertur ad gaudium, ob restitutum adolescentem, qui somno gravis, a tertio tabulato ædificii, in terram præceps datus fuerat. sic apud *Homerum Iliad. E.* cum Æneas a Diomedæ pænè occisus, ab Apolline vero conservatus suisque redditus esset, dicitur:

Ἄινειας, δ' ἐτάροισι μεδίσατο τοὶ δ' ἐχάρησαν.

Ὡς εἶδον ζῶντα ἢ ἀγερμέα προσίοιτα  
καὶ μένος ἐσθλὸν ἔχοντα.

*Æneas autem cum sociis stetit, hi vero gavisi sunt;*

*Cum viderent vivum & incolumem advenientem  
Et vires integras habentem.*

Quæritur: an puer licet desuper gravissimo

mo lapsu deturbatur mortuus fuerit, & Pauli miraculo in vitam revocatus? Sunt qui negant, cum id expressis verbis in textu non referatur; quibus solet objici, quod dicuntur Pauli auditores duxisse adolescentem *ζῶντα*, *viventem*, adeoque opus esse, ut antea fuerit mortuus: Sed nec hanc quidem consequentiam esse necessariam, ex adductis Homeri verbis constat, ubi etiam Æneam videbant amici *ζῶντιν* *vivum*, qui tamen plane incolumis, magnum licet mortis periculum, evaserat.

ACT. XIX. II.

*Δυναμεις οὐ τὰς τυχεύσας*) quamvis non absone reddantur hæc verba: *Virtutes non vulgares*: (Hanc enim participii *τυχῶν* significationem esse mox dicemus) hoc loco tamen interpretanda videntur: *Virtutes non fortuitas*, ex communissima scilicet vocabuli significatione, qua *τυχεύει* est *accidit, contingit & τύχη casus fortuitus*. Ut adeo Lucas videatur subindicare velle, facta per manus Pauli miracula, non tantum haud levia nec vulgaria, sed adeo humanas vires excedentia omnes, ut quam manifestissime cuivis pateret, non casu fortuito hæc contingere; quod commune hominum profanorum Atheorumque effugium est: Sed singulari Dei opera & potentia tot virtutes effici, tot miracula produci

Ὁου τὴν τυχοῦσαν φιλανθρωπίαν, h. e. non levem, non exiguam, non vulgarem benevolentiam) significat enim hoc participium non raro: *Vulgaris, vilis, parvi momenti*, ceu abunde probant Lexicographi: Quando autem cum adverbio negativo conjungitur *magnum* quippiam, & ut vulgo dicitur, *extraordinarium* sive non commune significat, convenitque, quoad sensum, cum phrasi illa Lucæ in Actis maxime familiari, qua τὰραχον ἐκ ὀλίγον, χρόνον ἐκ ὀλίγον, ἐργασίαν οὐκ ὀλίγην, χειμῶνα ἐκ ὀλίγον, appellat, *tumultum ingentem, tempus longum, questum maximum, Procellam horribilem*. Ut adeo non absurde, licet minus eleganter, hunc locum nostrum efferat Vulgata: *Barbari benevolentias multas ostendebant erga nos.*

Eodem significatu apud Julianum de Cæsaris testamento dicitur τῶν διεθήκων ἀκροατάμενοι, μισθὸν ἐώρων, τῆς ἀγαθακτήσεως ἀυλοῖς ὅΤΤΟΝ ΤΥΧΟΝΤΑ προσγεγραμμένον. *Cum Romani audivissent Testamentum; Viderunt adscriptam sibi indignationis mercedem non vulgarem, i. e. maximam.* Namque Cæsar ampla populo Romano legata viritim constituerat, uti apparet ex Plutarcho, aliisque Cæsaris vitæ Scriptoribus.

Roman. II. 14. 15.

*Cum gentiles, legem non habentes natura  
 ea que legis sunt, faciant: Ipsi legem non habentes  
 sibi ipsis lex sunt. Qui ostendunt, τὸ ἔργον τοῦ νό-  
 μου, opus legis; cordibus suis inscriptum, conte-  
 stante conscientia &c. ) Aristoteles Libro pri-  
 mo Rhetoricorum Cap. XV. §. 6. de lege scri-  
 pta, contra quam excipi possit, si causæ  
 nostræ adverteretur, οὐ ποιεῖ ἔργον τὸ τῆ νόμου in-  
 quit, id est, vertente Mureto, non facit id,  
 quod opus & munus est legis. Legis autem  
 munus & opus est, id, quod ex rei veritate ju-  
 stum & salutare, decernere, interprete Schra-  
 dero Comment. ad hunc Aristotelis locum.  
 Ex istis non parum luminis videtur affundi  
 adducto loco Paulino, cujus sensum hunc  
 esse non dubito: Si gentiles, qui non habent,  
 sicuti Judæi, Legem a DEO datam: Tamen solius  
 nature instinctu ea faciunt, que legis sunt propria;  
 Videlicet præscribere res justas & salutare,  
 (id quod agentibus toties quoties factum ef-  
 se testantur, suo exemplo, Lycurgi, Zaleuci,  
 Solones, Numæ et alii, qui inter eas leges tu-  
 lerunt) sequitur istos gentiles, quanquam lege  
 divina destituantur; Sibi ipsis legem esse. Utpote  
 qui manifeste, legibus a se tam juste, tam fa-  
 lutariter latis, produnt, opus sive objectum  
 legis, justum, puta, & salutare, animis suis  
 esse inscriptum.*

Argumentum hoc Apostoli tam verum esse, quam quod verissimum, etiamsi Juris Pandectas præteream, ex aliis scriptis & effatis ethnicorum ad nauseam demonstrari posset. De iis tantummodo nunc loquar, quæ sola natura duce vix cognosci posse videntur. Agnoverunt enim non solum adulterium, sed quoque ὀφθαλμὸς μετὰ μοιχαλίδος, & aspectus cum concupiscentia conjunctos peccatum esse, uti supra ad Matth. V. 28. notavimus: Agnoverunt peccata, licet gradu differant, moraliter eandem pœnam mereri, quod deinde ad Jacob. II. 10. ostendetur: Agnoverunt denique malas etiam cogitationes punitione dignas esse. Nam ita exclamat Juvenalis Satyra XIII.

*Has patitur pœnas peccandi sola voluntas!  
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,  
Facti crimen habet.*

*Rom. XIV. 2.*

Ὁ ἀσθενὴς λάχανα ἐσθίει *Infirmus oleribus vescitur*) Proverbialis locutio inter Romanos Pauli tempore communissima, a corporali, ad spiritualem infirmitatem κατὰ ἀναχρηστικῶς applicatur. Augustus ponere solebat *BETIZARE*, pro languere, quod vulgo *LACHANIZARE* dicitur verba sunt Suetonii in Vita Augusti. Apud Plautum *Capteiv. Act. I. sc. 2.* Hegio Parasitum a cœna sua deterriturus ait:

*Constabit multis oleribus*, respondet Parasitus indignabundus? *Curato egros domi.* Ad quæ verba hæc notat Taubmannus: „ Meursius „ ægrotos inquit oleribus curatos olim fuisse, „ vel ex uno isto Plauti loco facile apparet. Et „ huc pertinet Plinii Natur. Hist. Lib. XX. „ Inde Heluones antiquitus appellati. Nam „ Helus veteres pro Holus dicebant. Quia „ vero ægroti nauseabundi valde sunt, fastidi- „ osique & delicati ciborum arbitri, hinc po- „ stea translata ea vox ad homines delicatos „ opiparosque, qui magnas pecunias in da- „ pes profunderent, non in voraces, quod „ hætenus tamen ab omnibus falso existi- „ matum est.

I. Cor. XIV. 29.

Προφήται δύο ἢ τρεῖς λαλεῖτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν. *Prophetae duo vel tres loquantur & reliqui dijudicent*) Per reliquos istos qui dijudicare debebant, non solum Prophetæ reliqui aut prædicatores & docti intelligendi sunt, sed reliqui *auditores*, quotquot aderant omnes, atque universus populus, ad quem fiebat oratio. Nec τὸ διακρίνειν, quando de sermone aut declamatione quadam dicitur, aliud quid significat, quam *attente argumenta perpendere*. Affirmante enim Aristotele Reth. II, cap. 18. §. 3. ὃν δεῖ πείσαι ἔτος ἐστὶν ΚΡΙΤΗΣ, *Is qui persuaderi debet, Judex est.*

Et

Et ibidem §. 3. ἡ τῶν κριτικῶν λόγων χρησις  
πρὸς ΚΡΙΣΙΝ ἐστὶ. *Sermonum persuasivorum usus,*  
five finis, est, vel tendit, ad iudicium.

Gal. V. 26.

Μὴ γινώμεθα κενόδοξοι, ἀλλήλους προκα-  
λέμενοι. *Ne simus vanae gloriae cupidi alter alte-*  
*rum provocantes,*) Jubet his verbis Apostolus  
Galatas ipsa re ostendere, quod spiritu am-  
bulent, carne cum concupiscentiis, veluti  
decet Christi asseclas, cruci affixa; deponen-  
do τὴν κενοδοξίαν, hoc est, vanitatem illam  
gentilibus adeo familiarem, qua se invicem,  
sine gravi causa, qualiscunque gloriolæ spe  
vel cupidine incitati, ad pugnas, sive reales,  
sive verbales, provocabant. Ita enim laudat  
Tydæum suum Minerva apud *Homerum Iliad.*  
*E.* quod, licet sine sociis Thebis inter Cad-  
mæos versaretur, nihilominus

κευ'ρους καδμείων ΠΡΟΚΑΛΙΖΕΤΟ, πάντα  
δ' ἐνίκῃ

Ρηιδίως.

*Juvenes Thebanorum provocabat; quemlibet  
autem vincebat facile.*

Et *Demosthenes contra Dionysodorum*, qui mu-  
tuum reddere cunctabatur, *Ad hunc modum*, in-  
quit, *Judices*, cum *Dionysodorum* hunc sæpius  
*PROVOCASSEMUS*, ἔ per complures dies προ-  
κλησῶν, *PROVOCATIONEM*, proposuissimus; *sim-*  
*plices nos penitus esse ait homines, si putaremus,*

R 3

usque

usque adeo se in consideratum esse, ut ad arbitrium  
 iret: Cum in aperto esset, se condemnatum iri ad  
 solvendam pecuniam. Ex quo Demosthenis lo-  
 co, præter propositum, observo, aut fallere  
 aut falli *Ammonium Grammaticum* in voce κλη-  
 σις, quando refert πρὸ κλησιν tantum dici, si  
 quis ad Areopagum vocaretur: κλησιν autem,  
 si ad aliud quoddam tribunal. Hic enim πρὸ  
 κλησις vocatur citatio & invitatio quædam ad  
 litem, quæ plane non pertinebat ad Areo-  
 pagum, quippe ubi non fiebant judicia re-  
 rum tam parvi momenti; Sed capitalium &  
 maxime arduarum. Scilicet Φόνος, καὶ τραύ-  
 ματος ἐκ προνοίας, ἢ πυρροῦ, ἢ φαρμάκων  
 εἴαν τις ἀποκτείνῃ δούς. i. e. *Cædis & Vulneris vo-*  
*luntarii, Incendii, Veneni quo quis dato alterum*  
*occiderit; veluti docet ipse noster Demosthenes,*  
*Orat. in Aristocratem & consentiunt rerum*  
*Græcarum scriptores.*

*Galat. VI. 7. sqq.*

Ὅ γὰρ εἴαν σπεῖρῃ ἄνθρωπος τὸ ἢ θερίσει,  
 id quod feret homo, idem & metet) Eadem alle-  
 goria utitur Apostolus 1, Cor. IX. 11. & 2,  
 Cor. IX. 6. An hæc fuerit proverbialis quæ-  
 dam locutio inter Græcos; qua adeo dele-  
 ctatur Paulus, haud sane certo scio: Illud no-  
 vi, damnare jam Aristotelem hoc loquendi  
 genus: σὺ δὲ ταῦτα ἀίχρως μὲν ἔσπειρας, κακῶς  
 δὲ ἐθήρεσας. i. e. Tu vero hæc turpiter seminasti,  
 male

male autem messuisti, tanquam nimis obscurum, affectatum longe petitum & Poëticum, *Retb. Ill. cap. 3. §. 18.*

*Eph. V. 30.*

Μέλη ἐσμεν τῷ σώματι αὐτοῦ, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ.) Communiter hæc verba reddi solent: *Sumus membra corporis ipsius* (scilicet Christi vel κυρίου, cujus in præcedenti versiculo fit mentio) *ex carne ipsius & ex ossibus ipsius.* Sed rectius ita transferrentur: *Sumus membra ejusdem corporis, ex carne ejusdem, scilicet corporis, & ex ossibus ejusdem.* Sic enim aptius convenirent cum antecedentibus: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, nec non cum subsequens: Propterea deseret vir parentes suos & adhærebit conjugi: Maxime autem cum effato primi mariti Adami, qui de thori sui socia prædicabat: Hæc caro de carne mea, atque os ab ossibus meis, Gen. II. 23. quem locum ante oculos habuisse Apostolum cum hæc ad Ephesios scriberet, sole meridiano clarius apparet.*

Obiicit aliquis; in textu esse αὐτοῦ ipsius non ταυτοῦ ejusdem: Cui respondeo: 1) αὐτοῦ non raro ponitur pro ὁ αὐτοῦ & idem significat. vide Lexica 2) In textu est ταυτοῦ. Nam τῷ σώματι αὐτοῦ nihil aliud est quam σώματι τῷ αὐτοῦ, pro quo contracte dicitur ταυτοῦ.

*I. Thessal. V. 21.*

Πάντα δοκιμάζειτε, τὸ καλὸν κατέχετε. *Ελα-*

*minate omnia, optimum retinete*) Similis admonitio invenitur apud *Isocratem*, sub finem *paræneseos* ad *Dæmonicum*: *χρῆ τοῦς παιδίας ὄρεγομένους, μηδενὸς μὲν ἀπείρωσ ἔχειν, πανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν.* *Eruditionis comparanda studiosos nihil quidem inexpertum relinquere; undique autem utilia colligere decet.* Id. quod apum exemplo illustrat, omnibus quidem infidentium flosculis; de singulis autem utilia tantum, nec nisi ad favorum constructionem idonea, carpentium.

*I. Timoth. IV. 7.*

*Τοῦς βεβήλας μύθους παραιτοῦ.* *Profanas fabulas evita*) *Benedictus Aretius Comment. ad hunc locum Βηλῶν*, inquit, *dicitur purum, qualis puritas est in cælo sereno & astris, hinc βέβηλον: Nam βε syllaba significationem dictionis mutat; ideoque recte intelligimus pollutum, cænosum, impurum, quod cælo & astris minime dignum est. Satis quidem pulchre: Verum βηλῶν unde derivatur βέβηλον significare purum, & quidem qualis puritas est in cælo & astris, fides sit penes autorem. Βηλὸς dicitur limen, quod a βάλω descendere creditur, inde βέβηλος, sc. τόπος, locus est, quem ingredi promiscue vulgo licet, & per consequens exponitur profanus. Porro Syllabam βε ita significationem dictionis mutare, ut inducat e diametro contrariam, nec regula, nec exemplis*

plis probari posse spero. Mira profecto Com-  
mentatorum temeritas ! qua dictatoria sæpe  
gravitate pronunciant de rebus, quæ locuplete  
fidejussore indigent.

Hebræ. x. 29.

Ὁ ἴδον ὑἱὸν τῆς θεᾶς καταπαλήσας, καὶ τὸ αἷμα τῆς δια-  
θήκης κοινῶν ἠΰνησάμενος. *Filium Dei conculcans &*  
*sanguinem fœderis communem* i. e. profanum  
*ducens*) illustrant sensum hujus loci egregie,  
quæ leguntur apud *Homerum Illiad Δ.* ubi  
Agamemnona introducit, in fœdifragos Troës  
hæc verba detonantem:

ΚΑΤΑ δ' ὄρκια πῖσά πατῆσαν  
οὐ μὲν πῶσ' ἄλιον πέλει ὄρκιον αἷμα τε ἀρνῶν  
σπονδαὶ τ' ἀκητοί. &c.  
*Fœdera fidelia conculcarunt. Sed nullo modo*  
*Vanum est jusjurandum, sanguisque agnorum*  
*Puræque libationes.*

Antequam hæc loco nostro, ex episto-  
la ad Hebræos adducto, applicemus, liceat  
nobis, cum bona lectoris venia, facere digres-  
sionem, & quid per ὄρκια πῖσά rectissime in-  
telligatur paulo altius indagare. *Daniel*  
*Heinsius in notis ad Siliii Italici Lib. I.* ad verba  
poetæ:

*Tum nigra triformi*  
*Hostia mactatur divæ*

„ Est autem ὄρκιον, inquit, Homero, quic-  
„ quid dicant interpretes ejus, *viçtima*, quæ

ad ineundum fœdus cædebatur, ut ex illo loco necessario sequitur:

ἄτὰρ κήρυκες ἀγνοοῖ  
Ὀρκία πρὸς θεῶν συναγόν, κρητῆρι δέδινον  
Μίσγον.

Ubi profecto non vinum ὄρκιον vocat, sed victimam tantum, quam manifeste a vino distinguit. *Præcones*, inquit, *victimas* ferebant, quæ juri jurando & fœderi adhibenda erant, & præterea in cratere vinum miscbant. Quem locum nunquam mihi extorquebunt, nec veteres Græci, nec recentiores Latini interpretes, qui facit, ut alter quoque ejusdem Libri recte intelligatur:

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὄρκια πρὸς,  
Ἄρνε δὲ δὴ καὶ οἶνον εὐφρονα καρπὸν ἀρέρης.

Ubi oppositione docet quid sint ὄρκια, nempe ἄρνε δὲ δὴ. Hæc Heinſius ſatis quidem pro imperio. In ſubſequentibus duplicem rationem affert, quare ὄρκια nil niſi victimas ſignificare poſſint. Nimirum primo, quod vocantur utrinque ὄρκια πρὸς θεῶν; Deorum autem non juramenta erant, ſed hominum, Diis vero victimæ maſtabantur. Deinde quod dicuntur præcones φέρειν ἢ συναγεῖν τὰ ὄρκια quod de juramentis ridicule diceretur, cum tamen victimas & agnos ferri ac cogi notum ſit. At vero prius argumentum plane, eſt frivolum. Nam proprie loquen-

do nec victimæ Deorum erat, sed hominum; Juramenta autem non minus ac victimæ Diis fiebant. *Posterius* multum veritatis habet, satisque evincit, explicationem τῶν ὀρκίων, quam Heinſius ſuppeditat, in illis locis, quos ipſe ex Homero citavit, quovis modo recte ſe habere: Enim vero an eadem ubique valeat, interpretes autem Græci, qui ὀρκια πιſαῖ, ὀρκος reddunt & maxime omnium Latini, qui vertunt *fœdera firma*, riſu et exploſione digni ſint, ceu judicat Heinſius, haud equidem ſatis ſcio. Occurrunt enim, quod pace Critici dixerim, in ipſo Homero loca quædam, ubi vix aliter interpretari poſſis. Sic exempli cauſa, Juno Jovem rogat, ut jubeat Minervum Trojanos incitare, ut

Ἀρξωσι προῦτοι ὑπὲρ ὀρκια δηλήσασθαι  
quod rectiſſime verti arbitror:

*Incipiant priores ruptis fœderibus lædere.*  
De victimâ enim hæc inepte dicerentur, quippe quæ tunc jam macerata & ablata erat. Neque quiſquam victimam transgredi, rumpere, aut ſuper eâ lædere dici poteſt, quæ omnia juramento & fœderibus recte conveniunt. In altero loco, quem nos in fronte hujus annotationis ex Homero adduximus, quando Trojani dicuntur κατὰ ὀρκια πιſαῖ πωλήσαι, τὰ ὀρκια dubio procul ſintegram jurandi ſolemnitatem, cujus requiſita dein ſigillatim recensentur ſignificat: Ut adeo non nimium a vero aberret Eufſtachius, dum  
putat

putat tam vinum ὄρκια vocari, quam agnos & ipsam victimam, licet id quoque improbet Heinſius noſter. In immediate ſequentibus etiam ὄρκιον, in ſingulari numero poſitum, nihil ſignificare poteſt, niſi juſjurandum, cum non ſolum vino, ſed ſanguini quoque agnorum contradiftinguatur

ὄρκιον αἷμα τε ἀρνῶν  
Σπονδαὶ τ' ἄκρητοι.

Verum ne extra oleas vagari videar, redeundum erit aliquando ad verba Spiritus Sancti, quæ ex Epistoſa ad Hebræos c. X. 29. allegavimus, & monſtrandum, quam apprime homo impius & Deo ſædifragus dicatur: καταπατήſας τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. Nempe διαθήκην ſive ſædus cum hominibus pangens, Filium ſuum unigenitum, tanquam *Victimam*, ob confirmandum hoc ſædus cædi & immolari voluit. Hunc *rupto ſædere* impii eleganter, Phraſi Homerica, dicuntur καταπατήſαι, *conculcare*. Notante enim Eufſtathio ad hunc Homeri locum: ποδὴν δὴλοῦ καταφρόνηſιν τὸ πατήſαι, *conculcare ingentem contemptum indicat*; & licet, ex Dei parte, ſemper firmum maneat hoc pactum, ipſi tamen peccatores illud transgrediuntur, contemnant & flocci pendent; propterea dicuntur etiam τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγνεῖσάμενοι *ſanguinem ſæderis profanum ducentes*: non aliter ac Trojani exiſtimabant ἄλιον i. e. *vanum parum*.

parumque firmum velut mare, ὄρκιον, αἷμα τε  
ἀέρων, iusjurandum cum sanguine agnorum,  
quod tamen ex parte Deorum firmum & im-  
motum stare, & certo certius ultum iri, Aga-  
memnon asserit.

Hebr. XII. 1.

Νέφος μαρτύρων (Nubes testium) Sic Ho-  
merus Iliad. Δ.

ἀμα δὲ ΝΕΦΟΣ ἐπιπλο πεζῶν

Simul autem nimbus sequebatur pedestrium  
& Iliad Π.

Τρώων ΝΕΦΟΣ ἀμφιβεβηκε

Νηυσὶν ἐπιπλοῦσας,

Trojanorum nubes circum iit

Naves fortiter.

Pariter Virgilius Æn. VII. de ovium multitu-  
dine:

Urgeri volucrum raucarum ad littora  
NUBEM & Æn. XII:

cunctæque volucres

Convertunt clamore fugam, mirabile visu,

Ætheraque obscurant pennis hostemque per  
auras,

Facta NUBE, premunt.

I. Petr. V. 8.

Ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος ὡς λέων ὀρυόμενος  
περπατῆ. Adversarius vester Diabolus, velut  
leo rugiens, circumambulatur. Eodem simili  
de-

describit Æneam Diomedis mortem inten-  
tantem Homerus, *Iliad. E.*

Ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖνε λεονῶς . . .  
Σμερδαλέα ἰάχων

Circa autem ipsum iuit tanquam Leo  
Horribiliter vociferans.

*Jacob. I. v. ult.*

Θρησκεία καθαροῦ καὶ ἀμίαντος αὐτὴ ἐστίν. . .  
ἀσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἅπο τῶ κόσμῳ, *purus &*  
*immaculatus cultus hic est.* Seipsum a mundo  
*intemeratum servare*) Simile quid habet Iso-  
crates in Oratione ad Nicoclem: Ἦγὼ τὸ  
εἶναι θύμα κάλλιστον, καὶ θεράπειαν μεγίστην, ἕαν  
ἴς βέλτιστον καὶ δικαιοτάτον σεαυτὸν παρέχης,  
*Statuas id pulcherrimum esse Sacrificium & cul-*  
*tum maximum, si te quam optimum & iustissi-*  
*imum praebeas.*

*Jacob. II. 10.*

Ὅστις ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνί,  
γέγονε πάντων ἔνοχος. *Quicumque omnes leges ser-*  
*vat, peccat autem in una, omnium reus efficitur.*)  
Idem agnovit inter gentiles Demosthenes Phi-  
lipp. ubi inquit τὸ εὐσεβὲς καὶ τὸ δίκαιον ἀντ'  
ἐπὶ μικρῆς τις, ἀντ' ἐπὶ μέζονος, π-ραβεῖνη, τὴν  
αὐτὴν ἔχει δύναμιν. *Utrum religio & ju-*  
*sticia in parvis an in magnis violetur, idem est.*



vendis atque explicandis tota Theologi  
industria versari debet.

§. 2. Quod Theologia spinis Scholasti-  
cis hirsuta incedat, non ejus naturæ, sed  
hominum vitio debetur.

§. 3. Si tantum industriæ in rebus ob-  
scuris elucidandis poneretur, quantum la-  
boris in rebus claris obscurandis positum est,  
brevis nihil amplius, obscurum esset in Theo-  
logia.

§. 4. Ille est optimus Theologus, non  
qui plurimum disputat, sed qui optime vi-  
vit, & optime vivere docet.

§. 5. In rebus ad salutem necessariis, u-  
nusquisque sibi ipsi Theologus esto.

#### DE RATIONE ET FIDE.

§. 6. Cum Deus, qui Revelationis au-  
ctor est, sit etiam auctor Rationis, fieri ne-  
quit, ut Revelatio quicquam doceat, quod Ra-  
tioni adversetur.

§. 7. Dum Pontificii, aliique qui ip-  
sorum arant vitula, in Rationem invehun-  
tur, non suam, sed Scepticorum causam  
agunt.

§. 8. Qui Rationis usum damnant, eos  
ne cesse est sententiam suam rationibus ad-  
struere

tissimi Auctoris judicium ubique arguentes, dignas  
omnino censuimus, quas duabus pagellis in 8. Genevæ  
ante biennium editas, ne instar foliorum Sibyllæ di-  
spersæ, mox pereant, heic loci insereremus. T. d. H.

struere : Itaque ut Rationis usus damnetur, oportet Rationis usum legitimum esse.

§. 9. Qui docent, aliquid *Philosophicè* verum, *Theologicè* vero falsum esse perinde est ac si dicerent, idem simul esse & non esse.

§. 10. Quæ cum evidentibus Rationis principiis pugnant, non modo credi non debent, sed neque credi possunt: Sic nemo credere potest Montem sine valle, baculum sine duobus extremis : Itaque nemo credit *Transubstantiationem*.

§. 11. Dantur tamen Mysteria, ad quæ Rationis lumen nunquam assurgere valuisset, quæque proinde sola Revelatione cognoscuntur.

§. 12. Multa etiam sunt, tum natura nota, tum Revelatione patefacta, quæ ut perfecte comprehendantur, humani intellectus fines non finunt.

### DE EXISTENTIA DEI.

§. 13. Quæstio de Existentia Dei, huc redit, *An oculus ad videndum factus sit?*

§. 14. In Atheorum systemate, mera est caligo; Ne minimæ quidem rei ratio perspicitur. Posito Deo, plana ac facilis omnium clavis habetur.

§. 15. Inter Atheos & nos convenit, aliquid æternum fuisse. Hoc quæritur 1. quodnam illud æternum fuerit? 2. quomodo  
 III, Fascicul, S do

do ab æterno illo, quæcunque post fuerunt, hodieque exstant, orta fiat? Utroque autem respectu, quanto intervallo ipsorum hypothesis à nostra superetur, quicunque attenderit, facile perspiciet.

§. 16. *Quod ex nihilo nihil fiat*, perperam ab Atheis nobis objicitur. Sed nos contra meritissime illud ipsis objicere possumus; cum res pulcherrimas ac præstantissimas, brutæ materiæ, & cæco casui, hoc est, mero nihilo, adscribant.

§. 17. *Demonstratio Spinoße pro una tantum substantia*, miseris æquivocationibus nititur.

§. 18. *Quantiscumque difficultatibus obnoxia sit Religio*, longe pluribus & gravioribus impiorum principia premuntur.

§. 19. Si nullus esset Deus, nihil optabilius foret humano generi, quam Deum esse.

### DE JUSTO ET INJUSTO.

§. 20. *Quamvis illud Poëtæ, Utilitas justæ prope mater & æqui*, in hominum factis nimio plus locum habeat, non hoc tamen verum est ac genuinum principium Juris.

§. 21. *Rationes ab utilitate ductæ, incentiva quidem sunt, quibus ad officium impellimur: Verum a fundamento obligationis tantum differunt, quantum cupediæ infanti promissæ ab auctoritate paterna distinguuntur.*

§. 22.

§. 22. Ad cognitionem *Iusti & Injusti* eodem modo pervenitur, quo ad cognitionem *Veri & falsi*; Per idearum nempe collationem, ex qua variæ relationes, variaque confectaria emergunt. Vis autem *Officiorum*, seu obligationum, pendet a Superiori, qui jus obligandi & vires habeat.

§. 23. Illa sententia, qua *Officia* omnia ab utilitate deducuntur, cum *Atheorum* systemate optime consentit: At, posito Deo, admitti non potest.

§. 24. Quid enim? Nihilne Deo debemus, Conditori ac Benefactori summo, si nihil ab eo timendum vel sperandum habebimus? An æque justum foret, blasphemias in ipsum evomere, quam ejus laudes celebrare? Foret utique, si valeret illa hypothesis, quam refellimus.

§. 25. Juxta hypothesim illam, quid culpæ admittit fur, veneficus, sicarius? Rogas? imprudens fuit.

§. 26. In actibus omnibus justitiæ, amicitæ, grati animi, &c. quo plus respicitur ad proprium commodum, eo minus esse justitiæ, minus amicitæ, minus grati animi, apud omnes in confesso est.

§. 27. Quis vir probus dicere audeat, se tantum pium, tantum æquum, tantum gratum, tantum amicum esse, quantum sua interest, non amplius? Si ita pudet dicere, quidni pudet ita sentire?

§. 28. Denique, si Justum pendet ab utili, quid erit Dei Justitia? ejus judicia quis metuet? ejus promissis quæ fides habebitur? si quidem constat inter omnes, Deo nihil utile nec damnosum esse.

§. 29. Certe Dei Hominumque Justitia diversæ non sunt naturæ. Eadem est, AMOR ORDINIS. Ad amandum sequendumque Ordinem, Dei reverentia adducimur. Ad amandum sequendumque Ordinem propria sapientia adducitur Deus; Sibi ipsi Lex est.

§. 30. Cæterum, singulari Dei bonitate & sapientia fieri agnoscimus, ut vera nostra utilitas cum Officiis semper conspiret, neque alia detur via ad felicitatem quam probum esse.

§. 31. A bono societatis multa quidem Officia derivantur, sed non omnia.

§. 32. Officia Juris Naturalis non ideo justa sunt, quia Deus ita voluit; sed ideo Deus illa vult, quia justa sunt. Alioquin, omnis Justitiæ ratio evertitur.

### DE REVELATIONIS NECES- SITATE.

§. 33. Ad Dei Officiorumque cognitionem, per ratiocinia & Philosophiam pervenire, longa nimis via erat; neque ab hominibus, eo quo sunt statu, facile calcanda. Decebat Dei bonitatem ac sapientiam, faciliiori quadam ratione sese hominibus manifestare.

§. 34. Quam debiles sint, ad res Divinas cognoscendas, Hominum sibi relictorum conatus, vel solus Ethnicæ Religionis & Philosophiæ conspectus docet.

§. 35. De Divinis, multa quidem Naturæ lumine innotescunt, sed non omnia. In his est via Salutis, quæ cum a sola Dei misericordia & beneplacito penderet, divinari ab humano ingenio vix ac ne vix quidem potuisset.

§. 36. Hinc Paulus docet, Salutis Mysteria esse *res quas oculus non vidit, quas auris non audivit, &c.* Nam, addit, quemadmodum *res hominis*, hoc est, interna ejus consilia, nondum ab ipso patefacta, *nemo novit, nisi spiritus hominis qui est in ipso*; Ita etiam *res Dei*, hoc est intimas ejus voluntates, circa Salutis viam, *nemo novit, nisi Spiritus Dei*; Proindeque illa *a Dei Spiritu revelari oportuit.* I. Cor. II. 9. 10. 11.

## DE RELIGIONIS CHRISTIANÆ VERITATE.

§. 37. Vel nulla Religio vera est, (quæ assertio Dei bonitati & sapientiæ plane adversatur) vel vera est Religio Christiana.

§. 38. Id Christianæ Religionis Divinitatem evidenter probat, quod pauci quidam viri ignobiles, nullisque exculti Discipulis, longe melius de Deo senserint, longeque efficacius idololatriam & vitia debella-

rint, quam omnes, qui unquam fuerunt ab Orbe Condito Philosophi,

§. 39. Nisi vere acciderint Miracula, quæ Christus & Apostoli dicuntur patrasse, propagatio Christianismi *Miraculorum longe maximum est*, ut scite ait, *Chrysostomus*.

§. 40. Qui concedunt, vera miracula à falsis Doctoribus fieri posse, primo quidem Deibonitati, sanctitati, veracitati, non satis videntur consulere; deinde robur argumenti a Miraculis ducti non parum infringunt.

§. 41. Qui vellent, Religionis fundamenta eodem genere demonstrationum probari, quibus probantur veritates Mathematicæ, ad Religionis scopum atque indolem non satis attendunt.

§. 42. Multi argumentis pro Christiana Fide militantibus non persuadentur, qui obrationes longe minus validas, fortunarum omnium, imo & vitæ discrimen adunt.

§. 43. Si Religio Christiana tantos non edat fructus, quantos edere apta nata est, id non ipsi quidem, sed Christianorum vitis atque odii adscribendum est.

#### DE SCRIPTURA.

§. 44. Cum Scriptura eximias Dei ideas tradat, Deum ubique spiret, ad Dei gloriam omnia referat, ceterosque omnes Libros, ad

res

res divinas quod attinet, longissimo intervallo post se relinquat, quis neget Librum illum divinum esse?

§. 45. Quid habet tota Gentilitas, quid pepererunt Mystæ omnes atque Philosophi, quod vel uni Psalmorum Libro, non dicam anteponi, sed vel æquiparari possit? Ubi tam sublimes de Deo notiones, ubi tot pii in Deum affectus, humano calamo unquam expressi sunt?

§. 46. In Christi concionibus, quantum majestatis? quantum lucis? quantum ponderis? quæ quidem mira simplicitate ac suavitate temperantur. *Nullus unquam homo, ut hic homo locutus est.* Aliter Deum loqui non decuit.

§. 47. In libro antiquo, partim Hebraicis, partim Græcis Literis scripto, non mirum est si multa obscura, & à moribus nostris aliena, reperiantur. Verum res omnes necessariæ in eo planæ sunt & faciles, omniumque captui accommodatæ,

§. 48. Scriptura communes notiones supponit, seu, quod idem est, eos, quos alloquitur, supponit homines esse.

§. 49. Scriptura, non doctis, sed vulgo scripta est: Itaque, non juxta Scholæ leges, sed modo populari intelligenda est.

§. 50. Balbutit nobiscum Scriptura, cum

de Dei rebus loquitur; sed iis quæ humano ritu docet, sensus Deo digni subjiciendi sunt.

§. 51. Non tam theoria, quam affectu constant, quæ de Dei perfectionibus, beneficiis, laudibus, amore, reverentia, de dolore peccati, de sanctioris vitæ proposito, de piorum gaudiis, fide, spe, patientia, &c. unaquaque pagina docet Scriptura. Itaque, ut illa recte percipiantur, non tam necesse est eruditum, quam pium esse.

§. 52. Præter Scripturam, nullam aliam Fidei Regulam agnoscunt Protestantes. Itaque, & scripta Patrum, & Conciliorum Acta, & alios omnes Libros, cum privatos, tum publicos, errori obnoxios censent, & ad unius Scripturæ normam expendendos existimant.

§. 53. Pars est tyrannidis Pontificiæ, prohibere ne quisquam Scripturam interpretetur, nisi juxta sensum Ecclesiæ; Conc. Trid. Sess. IV. Quæ quidem Lex ita iniqua est, omnesque Interpretum conatus & profectus ita sufflaminat, ut ne ipsi quidem Viri docti inter Pontificios ea se ligari velint; dicantque, raro commento, latam illam *contra Novatores, sed non contra se.* Vid. Du Pin Diss. Prælim. Lib. Cap. X. §. 5.

#### DE ORACULIS VETERIBUS.

§. 54. Multa V. T. loca, nonnisi per accommodationem in N. T. laudantur, ut Matth. II. 15.

§. 55.

§. 55. Quamvis multæ Prophetiæ sensum aliquem minus perfectum, respectu *typi*, habuerint, suo tamen robore non carent, siquidem longe plenius ac perfectius in *anti-typo* implentur.

§. 56. Si quæcunque tradit Scriptura, in Allegorias & Prophetias vertere liceat, nihil certi erit in Religione. Quo quis vividiori phantasia præditus erit, eo plura fingit mysteria; & quidlibet ex quolibet probabitur. Testes sint Alchymistæ illi, qui artis suæ firmamenta ex Scripturis petere non dubitant.

#### DB ATTRIBUTIS DEI.

§. 57. De Dei Attributis mira consensus est inter Scripturam & Lumen naturale. Utraque via constat, Deum *Ens perfectissimum* esse.

§. 58. Non tam quid Deus sit in se, quam quid sit respectu nostri, docet Scriptura. Hinc illum perpetuo ut *Patrem*, ut *Dominum*, ut *Regem*, ut *Judicem*, ut *Amicum nostrum*, describit. Magno documento, non tam nostrum esse philosophari de Deo, quam illum timere, colere, diligere, ejusque mandatis obtemperare.

§. 59. Quamvis nonnisi imperfectissime Dei naturam & attributa cognoscamus, dubitari tamen nequit, quin ejus *Bonitas*, v. g. ejus *Sanctitas*, ejus *Justitia* &c. ideis, virtu-

tum illarum, quæ in nobis sunt, consentiant; Alioquin, ad illas Dei virtutes imitandas non excitaremur.

§. 60. Ita extollendæ sunt perfectiones Dei physicæ, (sic ejus *Omniscientiam*, *Omnipotentiam*, *supremum Dominium*, vocare liceat) ut simul Virtutibus ejus moralibus, *sapientie*, *bonitati*, *sanctitati*, *justitiæ*, sua laus illibata conservetur.

§. 61. Non extollunt Dei Potentiam, qui eam ad res contradictorias extendunt; sed contra faciunt, quantum in se est, ut Dei Potentia credi non possit.

§. 62. Unum tantum esse Deum, vel id unum invicte probat, quod nulla detur ratio, quæ suadeat plures Deos esse.

DE SACRO-SANCTA TRINITATE,  
CHRISTI DIVINITATE, INCARNATIONE,  
ET SACRIFICIO.

§. 63. Unitati Dei non repugnat, quod de Sacro-Sancta Trinitate docet Scriptura.

§. 64. Quod Æternum Dei VERBUM, in temporum complemento, humanam carnem assumpserit, seque in ea mortalium oculis conspiciendum præbuerit, id non modo nihil impossibile, nec indignum Deo, continet, sed e contra Dei misericordiam, sapientiam, sanctitatem, &c. in aperta luce collocat.

§. 65. Christum se victimam piacularem pro peccatis nostris obtulisse, constans est Scripturæ doctrina, speciatim totius Epistolæ ad Hebræos,

§. 66. Inter hæreses, quæ contra hæc Mysteria magno numero exstiterunt, una est omnium communissima, quam Theologi non satis refellunt; Eorum nempe, qui se bellos Christianos putant: statim ac voces & syllabas, quibus hæc Mysteria efferri solent, memoriæ infixerunt; Cum tamen constet, Christi τὸ Θεῖον hoc imprimis sine credendum proponi, ut *ne illum qui è cælis loquitur, spernamus*, Hebr. XI. 25. ut ad tanti Magistri doctrinam *eo magis attendamus*, neve illam effluere sinamus, Hebr. II. 1. Ejus vero sacrificium, ut tam caro *redempti pretio*, meminerimus, nos *Dei esse*, ejusque *gloriæ, tum corpora nostra, tum animos nostros addicamus*. I. Cor. VI. 20.

### DE DECRETIS DEI.

§. 67. Cum Deus omnia uno simplicissimoque actu decreverit, cur Theologi, tanto æstu, tantaque fiducia, de Decretorum Divinorum ordine inter se digladiantur?

§. 68. Nulli tam inefficaces voluntates Deo tribuunt, quam *Supralapsarii*; dum docent Deum iis mediis justitiam suam ac bonitatem demonstrare voluisse, quæ justitiam ac bonitatem omnem tollunt.

§. 69. Illi, circa Dei consilia, optime se gerunt, qui, occultis Deo relictis, de revelatis opere implendis unice sunt solliciti.

§. 70. *Qui crediderit, servabitur; Qui non crediderit, condemnabitur.* Hoc scire, de Dei decretis satis scire est.

DE CREATIONE.

§. 71. Qui Creationem ex nihilo admittere nolunt, quod illius modum non concipiant, an melius concipiunt, quomodo Deus materiæ formam indiderit? an melius concipiunt, quomodo globus impellat globum? an melius concipiunt, quomodo ipsi brachium moveant?

§. 72. Ens perfectissimum, cujus voluntas sit efficax, longe facilius concipitur, quam materia æterna, & æternitas Mentium humanarum.

DE PROVIDENTIA.

§. 73. Dei Providentiam universa produnt; Dei Perfectiones, Creatarum rerum natura, Orbis pulchritudo, Hominis conscientia; Quibus & alia argumenta, tum ex Historiis, tum ex Prophetis ducta, in Scriptura adjunguntur.

§. 74. Domum rectè ordinatam, Republicam bene constitutam, ab aliquo regis quis dubitet? Quanto minus domum illam splendidam, pulcherrimam illam Civitatem, quæ *Orbis* nominatur?

§. 75. Nisi animus ad vias Dei attentus de-  
esset, unoquoque gressu, tum in nobis,  
tum extra nos, ejus vestigia deprehendere-  
mus.

§. 76. Judex est iniquus, nimiumque sibi  
tribuit, qui ob nonnulla, quæ sibi in ordi-  
nata videntur, Dei Providentiam negare aut  
accusare sustinet.

§. 77. Quid enim? An omnia nosti, quæ  
Orbis capit? An Dei consiliis adhibitus es,  
ut singularum rerum usus tibi velis perspe-  
ctos esse? Quod carpis, quid sit, ignoras.  
Fragmentum est operis musivi; Qui illud à  
toto abstrahis? neque cogitas, pulchritudi-  
nem à nexu pendere.

78. Mirum est piorum ærumnas, & bene-  
ficia in improbos collata, contra Dei Provi-  
dentiam objici; cum nihil Dei sapientiam  
ac bonitatem melius demonstret.

§. 79. Si Deus bonus, unde mala? vetus quæ-  
stio est, adversus Providentiam. Verum si  
recte ad rem advertimus, patebit, neque  
*malum morale*, cujus Deus auctor non est,  
& quod e contra severissime prohibet, neque  
*malum physicum*, cujus eximii persæpe sunt u-  
sus, supremo Numini vitio verti posse.

§. 80. Non magis tenebatur Deus Homi-  
nes impeccabiles efficere, quam lapides o-  
mnes in animantia, animantia bruta in ho-  
mines, homines omnes in Angelos mutare.

§. 81. Bonitas Dei sejungenda non est ab ejus Sapiencia, cæterisque virtutibus. Bonitas, inquis, non patiebatur hominem labilem creari. At ego regero, id voluit Sapiencia, Quis ignorat, vel optimum virum, si sapiencia postulet, certos bonitatis ætus omittere?

§. 82. Ex omnibus Mundis possibilibus, optimum, pulcherrimum, sapientissimum elegit Deus; In quo si quædam videantur incommoda, incommoda proprie non sunt, si quidem pulchra illa series, ille Mundorum omnium optimus, sine iis stare non posset: Quæ notio est illustrissimi acutissimique Philolopi, edito nuperrime Libro, cui titulus *Essais de Theodicée*.

§. 80. Nisi peccatum fuisset possibile, plurimæ Dei Hominumque virtutes in æternum sepultæ mansissent.

84. Peccato non permissio, Deus Mundi Judex non esset; nam nullus explorationi, nec judicio, daretur locus.

§. 85. Entia quæ virtutis praxim, ut maximis difficultatibus ac ærumnis obnoxiam, omnibus peccati illecebris anteponerent, sine dubio dignissima fuerunt, quæ à Deo conderentur. Atqui talia Entia condere, & peccatum permittere, unum idemque est.

§. 86. Magnitudinem operum Divinorum non satis perpendunt, qui in hoc arenæ

gra-

granulo, quod *Tellurem* dicimus, vellent omnia perfectissima ac felicissima esse. *It nigrum campis agmen. Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium.* Sursum immensa, five temporis, five loci spatia sunt; in quibus innumeris modis, humanæ menti imper viis, *πολυτροχιὰ* & Dei sapientia sese exerrat; illaque perfecte explicet, quæ nobis homuncionibus, in hac caligine, perplexa videntur.

## DE PECCATO, LIBERTATE ET GRATIA.

§. 87. Quicquid <sup>boni</sup> ~~boni~~ est in nobis, Deo, quantum quantum est, debetur, qui, & initii, & progressus, & consummationis Salutis nostræ auctor est.

§. 88. Quicquid mali est in nobis, non Deo (apage blasphemiam) sed nobis solis adscribendum est.

§. 89. Non ita prædicanda est Libertas Hominis, ut inde Gratia Dei obscuretur; Neque ita deprimenda est Libertas Hominis, ut inde Judicii Divini æquitas labefactetur.

§. 90. Voces illæ, *Posse*, & *Non posse*, admodum ambiguae sunt. Hic itaque, si alibi uspiam, qui bene distinguit, bene docet.

§. 91. Affectus minime excusant, etsi eventum non raro infallibilem reddunt; nisi forte dicas, quo quis libidiniosior est, quo quis iracundior, quo quis ebriosior, quo quis impoten-

potentioris ad scelera omnia malitiæ, eo innocentiores esse.

§. 92. Ita agendum, in Salutis negotio, quasi omnia à nobis penderent: Ita orandum, & gratiæ agenda, quasi nihil à nobis pendeat

DE JUSTIFICATIONE, FIDE, ET BONIS OPERIBUS.

§ 39. Nos *gratis*, mera Dei *gratia* & *miserordia*, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, non vero ab ulla bona opera quæ fecerimus, *Justificari*, tam clarum est, tum ex disertis Scripturæ locis, (Rom. III. 24. Tit. III. 5.) tum ex ipsa rei natura, ut in dubium vocari nequeat.

§. 94. Neque vero ipsi Pontificii (humanorum cæteroquin meritorum assertores) id negare sustinent. Etenim Concilium Tridentinum ita habet, Sess. VI. Cap. 8. *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; Si enim gratia est, jam non ex operibus; alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia. Recte illi; si modo hac in parte sibi constarent.*

§. 95. Verum enim vero, duo hæc multum differunt; Non justificari, neque salvari, propter ulla bona opera, &, Justificari ac salvari nullo præstito bono opere.

§. 96. Vulgatum illud *Augustini* dictum;  
*Bona opera sequuntur justificatum, non precedunt  
 justificandum*, cum mica salis accipiendum  
 est. Alioqui dicendum esset, vel pœnitentiam  
 non esse bonum opus, vel peccatorem, dum  
 adhuc impœnitens est, veniam peccatorum  
 à Deo consequi; Quorum utrumque, non  
 absurdum modo, sed & impium est.

§. 97. Cum Fides Christum totum com-  
 plectatur, non modo ut Prophetam & Sacer-  
 dotem, sed etiam ut Regem, hinc sequitur  
 neminem vere credere, qui Christi Legibus  
 sese non subiciat.

§. 98. Veræ Fidei idea, minus forte  
 Scholastica illa, sed tanto magis Evange-  
 lica & Apostolica, hæc est, Eam esse talem as-  
 sensum Evangelio præbitum, tam sincerum,  
 tam firmum, tam vividum, tam efficacem, ut  
 res cœlestes, licet futuras atque invisibiles,  
 nobis veluti præsentem sistat, nos totos Deo  
 mancipet, denique non tam nos ipsos, quam  
 Christum in nobis, vivere faciat.

§. 99. De relatione bonorum operum  
 ad vitam æternam, plus dissidii est in verbis  
 quam in rebus.

§. 100. Utinam tanto studio bonis ope-  
 ribus incumberemus, quanto consensu eo-  
 rum necessitatem agnoscimus.

### DE CULTU PUBLICO.

§. 101. Religionis naturalis non minus  
 III. Fascicul. T quam

quam revelatae principium est, Deum publice colendum esse.

§. 102. Nisi publice coleretur Deus, magnum esset periculum, ne omnis Dei reverentia ex plerorumque hominum animis paulatim evanesceret.

§. 103. Qui perfectionis obtentu a Cultu Publico abstinent, eo ipso, quam imperfecti sint Christiani, palam faciunt.

§. 104. Liturgiarum Publicarum usum, tum in Ecclesia veteri, tum in Ecclesiis nostris, receptum, ad Cultus Divini decorum necessarium existimamus; modo ne Psittacorum ritu, sed animo pio & attento recitentur.

§. 105. Ethnicorum Βαπτολογι'αι, à Christo damnatae, plures habent imitatores inter Christianos, quam sapiens atque nervosa Orationis Dominicæ brevitatis.

§. 106. Christus nullos novos ritus instituit; sed jam receptos, mutatis mutandis, suæ Disciplinæ proprios fecit.

#### DE SACRAMENTIS.

§. 107. Quicquid de Sacramentis momentosum tradit Scriptura, paucis paginis, imo forte lineis, includi potest; idque vel infans potest intelligere. Quonam malo fato igitur factum est, ut, tot voluminum millibus materia illa obtenebrata sit?

§. 108. Opus operatum Pontificiorum; aliaque non pauca de Sacramentis placita ac ritus,

tus, Religionem in Magiæ quoddam genus vertunt.

§. 109. Baptismus infantium temere damnatur ab Anabaptistis : Sed hoc merito culpæ possunt, quod eorum plerique, qui infantes baptizati sunt, postquam adoleverunt, de suo baptismo vix amplius cogitent.

§. 110. Quibus fidiculis totus Missæ apparatus, ex planissima ac simplicissima Eucharistiæ institutione, educi potuerit, res est miraculo proxima.

§. 111. Probrum est humani generis, eam doctrinam, quæ crassissimas contradictiones involvit, & cujus falsitas, ut ita dicamus, visu, gustu, tactu, percipitur, tot Gentibus, ac per tot Sæcula, persuaderi potuisse.

§. 112. Cum Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, nemini adstantium *Transubstantiatio* in mentem venire potuit; cum paris enuntiationis, parisve portenti, ne unum quidem exemplum reperiretur.

§. 113. Contra, nulli non adstantium sensus noster se offerre debuit; cum paris enuntiationis, parisque figuræ, sexcenta apud Judæos exempla reperirentur.

§. 114. Non dicendum est, Verba Eucharistica sensu literali à Pontificiis accipi; siquidem sensus Pontificius, non figuram modo, sed violentissimam figuram, & cui par nulla est, inducit.

§. 115. Quotacunque supponerentur, in gratiam Transsubstantiationis, Scripturæ testimonia, nunquam ita clarum esset illam doceri in Scriptura, ut clarum est ac indubitatum illam esse non posse.

§. 116. Ut credatur Transsubstantiatio, Christianæ Religionis veritas supponenda est: Sed si creditur Transsubstantiatio, Christianæ Religionis fundamenta subruuntur; Etenim Apostolorum testimonio, de Christi Miraculis & Resurrectione, tuto amplius credi non poterit. Itaque, si creditur Transsubstantiatio, Transsubstantiatio credi non potest.

§. 117. Ne splendidissimum quidem Miraculum Transsubstantiationi fidem potest conciliare. Nam, ut Miraculo credatur, fides sensibus habenda est: Si vero sensibus fides habeatur, actum est de Transsubstantiatione.

§. 118. Quid est Eucharistia Ecclesiæ Romanæ? An est *Sacramentum*? Sed Sacramentum sine signo nullum est; hic vero signum perit. An est *Miraculum*? Sed Miraculum sensibus usurpari debet, ut fidem faciat: Hic vero, non modo sensus nihil monstrant, sed & contra unanime sensuum testimonium credendum est.

§. 119. Non ineptus erat Sacerdos quidam *Colchorum*, (alias *Mingrellorum*) qui de incredibili illa corporis Christi præsentia rogatus

tus, inter alia non minus apposita, *Quorsum huc descenderet?* repofuit. Voyages de Chardin.

§. 120. Fumum vendit Scriptor Libri de perpetuitate &c. dum levissimas probabilitates certissimo Facto opponit. Mutatio fieri non potuit, inquit ille, Ergo non facta est. At nos longe certius dicimus, Mutatio facta est, Ergo fieri potuit.

§. 121. Qui fit ut primi Christiani Ethnicis exprobrarent, illos adorare id quod comeditur; Sæculo vero XIIo. Christianis ipsis exprobraret Averroës, Deum suum comedere? Horum ratio nulla reddi potest, nisi quod primis Sæculis illud Christiani execrarentur, quod Sæculis sequentibus inter ipsos introductum est.

§. 122. Pessime merentur de Christiano nomine, qui in caussa sunt cur Christiani *Anthropophagi*, imo & *Theophagi*, dici mereantur:

### DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

§. 123. Disciplina Ecclesiastica est Apologia Christianæ Religionis adversus vitia Christianorum.

§. 124. Disciplina non minus Ecclesiæ essentialis est, neque minus expresse in Scriptura præcipitur, quam Baptismus & Eucharistia.

§. 125. Quantum Disciplina Veteris Ecclesiae justo severior fuit, tantum hodiernae Disciplinae Leges (in plerisque saltem locis) justo sunt remissiores.

### DE ECCLESIA ROMANA.

§. 126. Cum Mercatores Pontificii suas merces tanto studio celent neque ab emptoribus explorari velint, hinc, quanti illae sint pretii, imo & quid ipsi de illis sentiant, proclive est existimare.

§. 127. Jocantur Pontificii, dum toties à nobis quærunt, Cur ab ipsis discesserimus? postquam ipsi suis nos diris atque tormentis expulerunt.

§. 128. Non tam culpabilis est ob suos errores Ecclesia Romana, (quanquam & ob illos etiam) quam quod errores suos in Fidei Articulis mutet, eosque sub pœna damnationis credi velit.

§. 129. Quot novos Fidei articulos Ecclesia Romana cuderit, vel sola Professio Fidei, à Pio IV. juxta mentem Concilii Tridentini publicata & sancita, cum Veteribus Symbolis collata, docere potest.

§. 130. Si de Sacris Pontificiis ex præpopulorum judicium fiat, vix quidquam, à veteri Ethnicismo videntur distare.

§. 131. Quicquid de Ecclesiae Infallibilitate & juribus docent Pontificii, huc tandem  
redit,

redit, eos Judices in propria causa sedere velle.

§. 132. Nullum melius argumentum est, Ecclesiam aliquam Infallibilem non esse, quam si probetur eam actu errasse. Neque ullum melius argumentum est, eam actu errasse, quam si constet eam id definiisse, quod crassissimam contradictionem involvit.

§. 133. Invieta sunt argumenta Concilii Nicæni II. non certe ad adstruendum Cultum Imaginum, sed ad ostendendum quam infallibiles Concilii illius patres essent.

§. 134. *Via auctoritatis*, quam vocant, nihilo brevior aut facilior est, quam *Via examinis*; & præterea inextricabiles difficultates continet.

§. 135. Cumulus ille difficultatum, quem contra *Viam examinis*, tanto apparatu, tantaque fiducia, produxerunt Controversiæ, non nihil forte Scepticos atque Atheos, sed minime Pontificios juvare potest.

§. 136. Si Dei bonitatem decuit, Ecclesiam *infallibilem* efficere, non minus eam decuit Ecclesiam *impeccabilem* præstare; nec enim peccatum minus est malum, quam error.

§. 137. Si ecclesiæ infallibilitas tam certum sit tamque efficax adversus Hæreses & Schismata remedium, qui fit ut in illa Ecclesia quam infallibilem dicunt, tot Hæreses & tot Schismata existisse deprehendantur?

§. 138. Qui dicit Ecclesiam *Catholicam Romanam*, perinde est ac si diceret Ecclesiam *Universalem Particularem*. In terminis contradictio est.

§. 139. Si Successio tanti fit ponderis; ut volunt Pontificii, pro Ecclesia Græca non minus militat, imo fortius militat, quam pro Romana.

§. 140. Si Ecclesia Gallicana sibi constaret, non posset non Pontificem Romanum audacissimi ac pertinacissimi Hæretici loco habere.

§. 141. Mirum est Principes omnes Papæ jugum non excutere; cui dum parent, ditiorum suarum Domini dici nequeunt.

§. 142. Cum Ecclesia Romana rationibus destituatur, vi & arte Politica sese sustentat. Verum eo ipso, quam aliena sit a Christi spiritu, aperte prodit.

#### DE ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS.

§. 143. Quemlibet a se dissentientem Orco addicere, animi est parum Christiani.

§. 144. Contra, quisquis Christianæ Charitatis affectu tangitur, nunquam nisi invitus, reluctans, apertissimis denique supremi Domini edictis coactus, aliquem lethaliter errare pronuntiabit.

§. 145. Articuli Fundamentales non sunt iidem omnibus; Sed pro varia Revelationis men-

mensura, variisque circumstantiis, varii sunt.

§. 146. Nemo quidquam credere tenetur, quod sibi clare revelatum non fuerit, & ad quod credendum facultates à Deo necessarias non acceperit.

§. 147. Quid ad salutem necessario credendum sit, quisve error a salute excludat, is solus decernere potest, qui est Salutis & Exitii dominus.

§. 148. Igitur, nobis Christianis Fundamentale nihil esse debet, nisi quod Dei Verbum tale esse definiverit; sive disertis verbis, sive per necessariam ac evidentem illationem.

§. 149. Dico, *per necessariam ac evidentem illationem*; Etenim consuetaria, dubia, obscura, longe petita, eodem cum ipsis principiis loco & gradu habenda non sunt.

§. 150. Res à Deo non revelatas, vel dubias atque obscuras, tanquam Fundamentales Christianis imponere, ( ut fit ab Ecclesia Romana ) auctoritatis divinæ usurpatio est.

§. 151. Non statim ac aliquid ad salutem necessarium fuit, inde sequitur id *cognitu* necessarium esse.

§. 152. Aliquando res ipsa fundamentalis esse potest; modus vero rei, minime fundamentalis.

153. Cum Religio non minus vulgi quam Doctorum sit, imo magis vulgi quam Docto-

rum, quicquid vulgi captum excedit, eo ipso non est Fundamentale.

§. 154. Cum Evangelium sit *Doctrina Pietatis*, quicquid nullius est ad Pietatem usus, non est Articulus Fundamentalis; Quicquid vero Pietatem evertit, neque cum ea stare potest, est error fundamentalis.

§. 155. Nugantur, qui certum ac definitum Articulorum Fundamentalium numerum sibi designari petunt; 1. quia, ut dictum est, non sunt iidem omnibus; 2. quia, pro vario concipiendi & distinguendi modo, modo generaliores & pauciores, modo specialiores ac plures, distingui possunt; 3. quia de nonnullis, (confectariis saltem, vel expositionibus) non sine aliqua rationis specie dubitari potest, an sint fundamentales, necne. Hoc tantum in genere affirmare licet, Fundamentalia, neque magno numero, neque cognitu difficilia esse.

§. 156. Verum quamvis eorum numerus non definiatur, optime tamen sciri potest, hoc vel illud esse veritatem Fundamentalem, hoc vel illud Errorem Fundamentalem esse; eodem modo, quo non necesse est omnia alimenta ac venena nosse, ut sciatur hoc vel illud alimentum aut venenum esse.

§. 157. Potest errari fundamentaliter, non modo aliquid Fundamentale diserte negando, sed & aliquid Fundamento superstruendo, quod ipsum subruat; Ut fit in Ecclesia Romana.

§. 158.

§. 158. Quorum dissensus fundamentalis est, (ut inter *Ecclesiam Romanam & Nos*) iisdem Sacris uti nequeunt.

§. 159. At quorum dissensus non est fundamentalis, (ut inter *Lutheranos & Reformatos*, nec non inter *Episcopales & Presbyterianos Anglos*) illi eandem Communionem Ecclesiasticam constituere, non modo possunt, sed etiam tenentur.

§. 160. Nimium difficiles sunt, qui cum iis communionem colere nolunt, quos non apparet Deum communionem suam eiecisse.

§. 161. Si Apostoli, qui infallibiles erant, tamen *infirmos fide*, adeoque à se dissentientes, tolerarint, & tolerari præceperint, quanto magis id debemus nos, qui errori obnoxii sumus?

§. 162. Odiosa consecraria, quæ ex quo dam Dogmate derivari credimus, iis adscribenda non sunt, qui illa repudiant & abominantur; neque propterea pax cum illis arumpenda est.

§. 163. Cum agitur de nobis ipsis, tutius est vel minimos errores, quasi pestiferi essent, vitare. At, cum de aliis judicandum est, tutius est, atque homine Christiano dignius, in mitiorem partem propendere.

§. 164. Maxima hæresis est vita improba.

DE ANIMORUM IMMORTALITATE,  
ET VITA FUTURA.

§. 165. Tam certum est Animum à Corpore differre, quam certum est *dubium non esse triangulum, & vindictam non esse spheram.* Itaque Corpore extincto, Animus non destruitur.

§. 166. Nihil Ethnicæ Philosophiæ infirmitatem melius evincit, quam fluctuantes ipsorum, de animi immortalitate, & vita futura, sententiæ. Nihil é contra Christianismi præstantiam fortius demonstrat, quam quod *vitam & immortalitatem in lucem miserit.*

§. 167. Quemadmodum, in Dramatibus, quæcunque intricata ac perplexa sunt, in ultimo Actu explicantur; Pariter, quicquid in Orbis administratione negotium nobis facessit, ultimæ diei lux expediet.

§. 168. Cum innumeri futuri sint Felicitatis & Pœnarum gradus, Deusque singulis singulos, pro cujusque operibus, redditurus sit, hinc difficultates omnes circa hanc materiam facile solvuntur.

§. 169. Partem futuræ Felicitatis fore augmentum perpetuum cognitionis, plusquam probabile nobis videtur.

§. 170. Plures peccant, quod de salute sua nimium certi sint, quam quod non satis certi.

JACOBI HASAEI,

Animadversiones in quaedam

loca

SACRI CODICIS,

Quibus obiter et nonnulla aliorum scri-  
ptorum illustrantur.

SUMMARIUM.

**L**ocus Cant. V: 7. illustratur §. 1. sqq. *Circumire & Custodire idem est.* Ἀμφιβαιεὶν est custodire §. 2. Ἀμφίβαιος. Ita dicitur Neptunus §. 3. Corybantes Jovis custodes. Eorum nominis ἑλυμων. Κυρβαῖτες §. 4. Pl. CXXXIX: vs. 9. Versio hujus loci *לון LXX* examinatur & emendatur. §. 5. *Septentrio pro locis caliginosis. Thule. Mare mediterraneum,* dicitur *יַם אֲרָבָה* & κατ' ἑξοχὴν mare. §. 6. Appellatio *Columbae* in Cantico unde arcessenda §. 7. *Columbarum & turturum* nomen inter *ὑποκοσμοματά* §. 8. Locus Aristophanis illustratur. *Νυτλαρίον.* §. 9. Quid sit *Δογμα* apud Luc. II: 1. Notat *Decretum principis* §. 10. *Dictum Servatoris* Matth. VI: 24. Luc. XVI: 13. ex jure feudali illustratur, §. 11, 12. Luc. IV: 39. Ez. XXV: 9. *לע & ἐπ' αὐτὸν* non tam notant *supra,* quam *juxta,* ad *latus.* §. 13. Locus Es. VI: 2, illustratur, & Apoc. IV: 5. §. 14.



§. 1.  
Antic. V: 7. dicit amica Salomonis  
*Verberabant me CUSTODES QUI IN*  
*URBE CIRCUMEUNT* השמרים  
הסבבים

הסננים בעיר. Hanc ego Iversionem neutiquam improbo, quam & Alexandrinorum interpretum autoritas tuetur reddentium Φύλακες οἱ ΚΥΚΛΟΥΝΤΕΣ ἐν τῇ πόλει. Nam & hæc ratio est custodum vigilum nocturnorum, ut *circumeundo* muros & urbis plateas, videant ne quid civitas detrimenti capiat. Ita etiam & v. 2. accipitur סבב pro *circumire*. Attamen & ex metaphora, qua ea quae *custodiuntur*, si majora sint, quam ut uno in loco ac intuitu defendi possint, solent *circumiri*: Hinc *circumire* potest sumi pro *custodire*, & ita hic locus reddi *vigiles, qui urbem custodiunt*. Saltem utraque potest significatio ex natura subordinatorum, secum invicem jungi. Pariter enim hi *vigiles* ibidem vocantur סדרות החומות ΦΥΛΑΚΕΣ τῶν τειχεῶν *murorum*, seu urbis *CUSTODES*.

§. 2. Accedit quod eadem metaphora & in aliis usitata sit linguis. Græcis ἀμφιβάνω *circumeo* notat saepissime *CUSTODIO* Homerus Il. ε' v. 899. de Aenea

ΑΜΦΙ' δ' ἄρ' ἀσπῶ ΒΑΙΝΕ λέων ὡς ἀλλὴ πεποιθὼς

*Illud autem (cadaver) CUSTODIEBAT (defendebat) velut Leo confusus viribus.*

Scholiastes exponit περιέβαινε ἀσπῶ καὶ ὑπερμάχει ἀσπῶ. Etiam ex hoc loco Eustathius & alii colligunt metaphoram esse desumptam ab *animalibus*, quæ, ut catulos *tueantur*, iustra saepe

saepe *circumire* confueverunt. Verum & à *custodibus* urbium potest eadem elegantia repeti quod et hi eandem *circumcursitent* nocturnis vigiliis. Hoc vel exinde apparet, quod Dii *πολιῆχοι*, (qui Latinis dicuntur *CUSTODES* urbium, ut Apollo apud Ciceron. L. III. de N. D. c. 23. *CUSTOS Athenarum*) vocentur ab Æschylo S. C. Theb. vs. 180. *Δαίμονες* ΑΜΦΙΒΑΝΤΕΣ πόλιν, quos eisdem vs. 147. vocauerat ΠΥΡΤΟΦΥΛΑΚΑΣ *CUSTODES URBIS*. Idem Homerus Jl. α. vs. 37. ubi Chryses Apollinem Smintheum invocat

Κλυθε μεν ἀργυρότοξ', ὅς χρύσην ΑΜΦΙΒΕΒΗΚΑΣ

*Κίλλαν* ἢ *Ξαθέην*, *Τενέδοιο* ἢ *Ἴφι ἀνάσσει*  
 Ubi ἀνάσσειν *regere* idem est quod ἀμφιβαίνειν. Est enim *regibus* commissa *populi custodia*. Observabis quoque elegantissimos Callimachi versus H. in Del. vs. 23. 199. ubi Deli insulae felicitatem, quod in Apollinis sit *praesidio*, aliis Cycladibus insulis, quibus tanta non contigit, opponens, eamque laudans, ita concludit

Δῦλε φίλη, τοῖος δὲ βοήθοος ΑΜΦΙΒΕΒΗΚΕΝ

*Delus chara, talis te propugnator cingit, i. e. defendit.*

Videantur ibi notae illustrissimi Spanhemii, & conferantur Etymologicon Magnum & Phrynichij Eclogae dictionum Atticarum, qui in ἀμφιβαίνω eandem hujus vocis observant signis

significationem quod *custodiam* & Φυλακὴν de-  
notet. Adde rursus Callimachum qui H. in  
Jov. vi. 81. exprimit ἀμφιβαίνειν per πολίεθρα  
ΦΥΛΑΣΣΕΙΝ *urbes CUSTODIRE.*

§. 3. Hinc explicari posse reor vocem  
Ἀμφίβατος, apud Lycophronem Cassand. vi.  
749. Est enim ex ἀμφιβαίνω. Pro βαίνω enim  
dixere antiquitus βάω, inde perfectum βέβαιος  
unde inserto jota βέβαιος, qua et hodie uti-  
mur voce, omissaque priore syllaba βᾶιος.  
Vocem autem Ἀμφίβατος recte Canterus red-  
didit per NEPTUNUM, quam Scaliger non  
usque adeo commode per *ambarvalem Deum*  
expressit. Tzetzes enim ad vi. 750. in auctio-  
re edit. Reverendissimi J. Potteri idem jam sen-  
tit, Ἀμφίβατος, inquit ὁ ΠΟΣΕΙΔΩΝ παρὰ  
κυρηναίοις Neptunus à Cyrenensibus vocatur ἀμ-  
φίβατος. Hoc vero nominis idcirco Neptuno  
contigisse videtur, quia ejus munus erat *cir-  
cum equitare pelagus* & velut navigantium  
CUSTOS naufragio laborantibus praesto  
esse *auxilio* suo, qua etiam in re *Dioscuros*  
NEPTUNO adjutores esse, innuit Lucianus  
Dial. Deor pag. 237. προσέλακται, inquit, αὐ-  
τοῖς (Castoribus) ὑπερετεῖν τῷ Ποσειδῶνι καὶ  
ΚΑΘΙΠΠΕΤΕΙΝ ἰὸ πέλαγος, καὶ εἰν ὡς ναύτας  
χειμαζομένους ἰδῶσιν ---- ΣΩΖΕΙΝ τὰς ἐμπλέον-  
τας.

§. 4. Neque minus ex iis, quae disputa-  
vimus, puto illustrius reddi posse verum-  
que ἔτυμον erui celeberrimorum in Historia  
Mythi.

Mythica CORYBANTUM. Quod enim  
 saepius illi vocentur ΔΙΟΣ ΦΥΛΑΚΕΣ Jovis  
 CUSTODES apparet vel ex scholiis Aristo-  
 phanis ad Lyfistratam vs. 558. quae e Codice  
 Vosfiano non ita pridem Cl. Kusterus pri-  
 mum edidit. Hinc in mentem venit Coryban-  
 tas id nominis nactos esse à κόρος puer & βαι-  
 νω custodia. (a) Βὰς enim est participium ex  
 βαινω, ut in ἐπιβὰς, κολαβὰς, ἀποβὰς, πειβὰς &c.  
 III. Fascicul. U No.

(a) Firmare quodammodo hanc conjecturam posset,  
 quod eadem paene videatur esse notio Dioscurorum,  
 quos quidam cum Corybantibus faciunt eosdem;  
 Διοσκουροι enim sunt τῶ Διός κούροι i.e. Jovis pueri,  
 sive famuli, servi, ministri, satellites. Alias credi-  
 derim hoc quoque nomen, ut reliqua id genus omnia,  
 originem suam debere Orienti, & arcessendam à vo-  
 ce קרב, quae notionem habet *appropinquandi*. Ita  
 ut κούρας sit idem, quod קורב, kóreb, appro-  
 pinquans: hoc est SACERDOS. Sacerdotum enim  
 proprium esse Deo *appropinquare* ecquis nescit? Un-  
 de Ex. XIX: 22. vocantur *appropinquantes ad Febo-*  
*nam*. Imo absolute Lev. X: 8. קרובי יהוה, pro-  
 pinqui Domini. Et commemorabilis est sermo, quo  
 Moses Corachum, ejusque socios alloquitur Num.  
 XVI: 5. *Mave notum faciet DOMINUS, eum, qui*  
*ipsius est, & qui sanctus est, והקרוב אליו &*  
*quem faciet appropinquare ad se; nam eum, quem*  
*elegerit יקרוב אליו, faciet a se APPROPINQUARE.*  
 Ita de filiis Korachi dicitur Ez. XL: 45. eos solum in-  
 ter filios Levi fore הקרובים APPROPINQUAN-  
 TES ad Deum, ut ei ministrent. Et Lev. XVI: 5.  
 filii Aaronis dicuntur mortui בקרבם, quum ap-

Nomine *κόρος* autem (quo apud Graecos ceteroquin per excellentiam indigitatur *Bacchus*, ut nomine *κόρης* *Proserpina*, unde latinis *Liber*, hoc est *filius*, dicitur, velut ad Stat. *Regill.* observavit p. 92. edit. Roterod. ὁ *πάλυ* Salmasius: ) hic, quemadmodum eo nomine quivis *puer* indigitatur, innuitur *re-*  
*sens*

appropinquassent ad *Jehovam*. Confer etiam Lev. XXI: 1. & Ps. LXV: 5. Hinc קרבן, Corban, oblatio, sive sacrificium, quod Sacerdotes Deo offerunt, sive *appropinquare* faciunt. Vide omnino Lev. I: 2. & II: 2. Recte itaque Corybantes quasi קורבים, i. e. *appropinquantes*, sive SACERDOTES dicuntur, quos Jovis, & magnae Deum matris *Sacerdotes* fuisse nemo nescire potest. Atque id eo nobis minus mirum videri debet, quod idem plane accidit in alia voce, quae ad eosdem Samothracum Sacerdotes spectat. Κοιης enim vel κοης est Sacerdos Cabirorum, qui iidem cum Curetibus ac Corybantibus sunt. Docet id nos Hesychius. Κοιης ιερευς καβειρων, ὁ καβειρων φονεα, ὁι δε κοης. Hinc κοινοθαι per ιεροθαι sacerdotio fungi, idem explicat: κοινοται, ιεραται. Hanc autem vocem κοιης derivandam ab Ebraeorum קהן, (quam vocem notare proprie ad Deum *appropinquantem* Sacerdotem, tanquam interioris admissionis ministrum, notius est, quam ut pluribus demonstrari debeat) jam pridem observavit ὁ *πάλυ* BOCHARTUS de Col. Phoen. L. I. c. 12. Idem itaque est κοιης & κορυβας, atque utrumque vocabulum natales suos Phoeniciae debet.  
 T. d. H.

*cens natus* Jupiter, quem, ne vagitum pueri audiret pater Saturnus, liberos suos de matre vix cadentes devorans, hi *Corybantes* cum Curetibus *circumsaltarunt*, vagitumque aeris strepitu intercludentes, ita *puerum* cum matre Rhea *salvum* à paternis injuriis *custodiverunt*. Nota cum res satis sit superque ex fabulis, comprobatione non indiget. Vide tamen *Callim. H. in Jov. vs. 52. sq. & Lucianum de Saltat. T. I. op. p. 788. Edit. Amst.* Num vero quispiam hanc *Corybantum* etymologiam indicaverit, me latet. Nisi tamen, nimis mihi blandiar, multo concinnior mihi videtur, ac quam alii à *κορυβαίνων* arcessunt. Praeterquam enim, quod haec ipsa vox à *Corybantum* moribus originem naeta fit, eadem, unde hujus natales peteremus, rediret quaestio. Multo minus placet, quod dicti sint *ἀπὸ τοῦ ἰσὸς κορυπτοντας βαίνων*, ut placet Straboni L. X. Geogr. p. 226. aut à *κόρη* *en pupilla oculi*, ut auctori Etymologici, aliisque videtur. Nescio enim, ut ut follicite inquiram, quid haec *πρὸς Διδυsson*. Quod autem hi dicantur aliquoties *κὺρβαντες* pro *κορυβαίντες*, ut apud Lycophr. *Cassandr. vs. 78. & Callim. H. in Jov. vs. 46.* id nominis ex prioris acceperunt contractione graecis familiarissima.

§. 5. Psalmo CXXXIX. vs. 9. per *כנפי תהו* intelligendas esse *alas tenebrarum*, non vero *aurorae*, ut alias creditum fuit, ostendit nuper egregie peculiari dissertatione in

T. XII. Histor. Crit. reip. litt. art. 8. conjunctissimus mihi frater THEODORUS, qui cum aliis viris luculenta doctrina aequae insignibus, hujus *Bibliothecae Historico-Theologicae* collectionem optimo, ut spero, reipublicae Sacrae & litterariae bono, in se suscepit. Qui tamen factum fit, ut contra omnem vocis  $\gamma\pi\omega$  naturalem significationem, (b) quatenus *brae* & *nigredo* denotantur, huic loco notio *aurorae* data sit, liceat paucis exponere conjecturam. Videtur orta esse ex parum recte lectis verbis interpretum Alexandrinorum, qui ita locum reddidere: *εάν ἀναλαβῶ τὰς πτέρυγας μὲ κατ' ὄρθρον, καὶ κατασκηνώσω εἰς τὰ ἑκατὰ τῆς θαλάσσης.* Censeo primum vocem *ὄρθρον* hic mendosam esse, & pro ea olim fuisse lectum *ὄρθρον*, hoc est *diluculum*, *auroram*, unde subsequentes versiones locum reddidere pro *auroram*. Attamen ita  $\gamma\pi\omega$  reddidisse interpretes ipsos Alexandrinos vix crederem, sed eos scripsisse *ἀρκτον*, hoc est *septentrionem*.

§. 6.

(b) Vide, quae in hanc rem in diss. ad locum Ef. VIII: 20. quae in Tomo XIII. ejusdem historiae criticae apparet. §. 2-20, ut & in diss. tertia, quae in Fascicul. I. hujus Bibliothecae occurrit §. 14-19. notavi. Locis autem illis, quae c. l. adducta sunt, quibus nocti attribui *alas* probavi, adde si placet, illud Ennii apud Festum in *quando*; *NOX, quando mediis signeis praecineta VOLABAT,* T. d. H.

§. 6. Atque haec notio voci שחר adpri-  
me convenit. Quem admodum enim ἀνατο-  
λή oriens pro luce & Sole saepe ponitur (vi-  
deantur Viri docti ad Luc. I: 78.) ita contra  
occidens & septentrio admodum CALIGINE in-  
volutus credebatur, quod illic longa nox ef-  
set; unde ζόφος caligo passim apud Home-  
rum pro septentrione ponitur. Sed haec de  
septentrionis caligine eleganter jam docuit  
summus Bochartus in Canaan. L. I: Cap. XI.  
ubi optima ratione probat veterum Thulen, in-  
sulam septentrionalem, nomen à Chaldaico  
טולי, quod umbram, tenebras, notat, accepisse.  
Praeterea sacrum scriptorem loca septentrionis  
seu solis occasus innuere, ex vocibus אחריתים  
seu ἐσχάτη θαλάσση, mare extremum, ad quod  
dicit se velle recipere, apparet luculenter.  
Illis enim vocibus cum Hebraeis scriptoribus  
sacris, tum interpretibus Graecis semper quod  
sciam, indicatur mare mediterraneum. Hoc  
vero incolis in Judaea habitantibus, ut Da-  
vidi regi Israelis, autori Hymni Sacri, erat ad  
occasum & septentrionem, uti mare mortuum  
ad orientem. Sic redditur אחרון ים ἐσχάτη θα-  
λάσσα Deut. XI: 24. XXXIV: 2. Joel. II: 20.  
Zach. XIV: 8, et iisdem vocibus ים נדול ma-  
re magnum Josuae I: 4. quod est aequè mare  
mediterraneum. Atque ita ἀνατολή oriens op-  
ponitur θαλάσση mari hoc est occidenti & se-  
ptentrioni Ezech. XLVIII: 2-34. Mare quippe  
U 3 medi

mediterraneum saepius per excellentiam *ἁλάσσα* mare vocatur; quia omnium, quae terram Palaestinam alluebant, erat *maximum*. vide Numer. IV: 6. Josuae XIX: 11. & passim alibi.

§. 7. Blandiuscula est appellatio, qua in divino Salomonis cantico sponsus sponsam vocat *COLUMBAM SUAM*. Sed hujus amicissimi nominis ratio vix reperi, quo interpretibus, in diversa abeuntibus, pateat. Ita Cant. V: 2. *Aperi soror mea, dilecta mea, יונתי COLUMBA mea*, Cap. II. 14. *יונתי בחגוי הסלע COLUMBA mea in fissuris petrae* Cap. VI: 8. *Unica est יונתי COLUMBA mea, intaminata mea*. Indolem naturamque hujus adpellationis blandioris exposituri interpretes, varia afferunt. Alii ad *castitatem*, alii ad *numerofam prolem*, quam edunt columbae, alii ad alias causas confugiunt. Nonnulli & eo incedunt, quo putent causam esse hujus appellacionis, indivulsum conjugii *nexum* quem tota vita nullo divortio rumpere dicuntur columbae, & quod altero conjugum morte divulso fervent intemerati primi thori castitatem. Atque haec est conjectura Borcharti P. II. Hieroz. L. I: Cap. IV. non procul a fine. *Scriserant, inquit, veteres eam (columbam) uni conjugi sic esse addictam, ut eo mortuo alteram non admittat. Unde factum, ut qui in Salomonis Canticum commentati sunt, NON SATIS intellexerint, quorsum sponsam toties*

ties columbae suae nomine Salomon indigiter. Ita nimirum significari voluit hanc a se unice diligere, seque illi vicissim unice charum esse, quomodo in columbis mirus est amor inter conjuges & conjugii lex firmissima. Has, & quae plures sunt, hujusmodi doctorum virorum conjecturae, ut suo loco relinquo, ita non neglegendam esse putem, simplicem & planam attentionem ad communem usum loquendi apud veteres, & ex eo heic loci Canticum illustrandum.

§. 8. Est enim plenus ille hymnus amatorius vocibus amatoris, quibus apud veteres utriusque sexus amici amicaeque se blande compellabant. Eas Graeci vocant ἰπποκορίσματα. Cum itaque apud veteres, amicas suas proci nominibus petitis à salacioribus animalibus vocabant, passeret, anates, COLUMBAS, passerculas, palumbos, columbulas, turturillas, anaticulas, palumbulos, ex consueto illo amatorum more; simili ἰπποκορίσματι, in hoc Cantico sponsus, sponsae amorem suum tenerrimum testaturus uti videtur. Sic apud Apulejum Metam. L. VIII. pag. 213. Ed. Elmenh. Sed illae Puellae exultantes in gaudium fracta rauca & effoeminata voce clamores absonas intollunt -  
- Et heus, ajunt, (ad amicum) cave ne solus exedas tam bellum scilicet pullulum. Sed NOBIS quoque TUIS PALUMBULIS nonnunquam

*insipientias*; Vides *puellas* amicas vocari amatorum *PALUMBULOS*! Item clarius adhuc L. X. *Metam.* p. 249. *MOLLES* interdum *VO-  
CULAS* & *assidua suavia* & *dulces gannitus* com-  
*morsicantibus oculis* iterabat illa: nimirum *mulier  
formosa cupiens viri amplexus obire* ut antea di-  
xerat. At, quae erant ejus *molles voculae*,  
& *dulces gannitus*? Has mox addit Apulejus.  
*Teneo te, inquit, teneo MEUM PALUMBU-  
LUM, MEUM PASSEREM.* Apud Plautum  
eum in modum *Afinaria* A. III: sc. III: vs.  
76. Leonidas ad Philenium loquitur

*Dic igitur me tuum PASSERCULUM, GALLI-  
NAM, COTURNICEM,*

*Agnellum, boedillum me tuam dic esse, vel vi-  
tellum*

Item vs. 103. Libanus ad Philenium

*Dic igitur me ANATICILLAM, COLUMBULAM,  
vel catellum*

*HIRUNDINEM, MONEDULAM, putillum,  
PASSERCULUM.*

Sic & ejusmodi putantur dici *puellae* apud Se-  
necam L. I: Ep. 96. in fine, *TURTURIL-  
LAE*, ubi tamen alii legunt *Turdilli*. At ita  
*TURTURES* dicuntur a Plauto in *Bacchid.* I:  
sc. I: vs. 35. ubi notae Taubmanni videan-  
tur

tur. Etiam de hujus nominis ratione doctis-  
simum Burmannum ad Petron. cap. 85. fine.

§. 9. Apparet exinde quam egregie vir  
summus & criticorum facile princeps R Bent-  
lejus vexatissimum apud Aristoph. Plut. lo-  
cum vl. 1012. correxerit, pro vulgata lectio-  
ne *νῆτταρον ἢ Φάττιον*, verbis nihili, sed amatoriis,  
quibus juvenis amicam dulce allocutus fue-  
rat, legit

ΝΗΤΤΑΡΙΟΝ ἂν καὶ ΦΑΤΤΙΟΝ, ὑπεκορίζετο  
*Subblande* (Juvenis) *vocabat me* (olim) ANA-  
TICULAM ET PALUMBULAM

Millies enim *ν* ex pronuntiatione veteri affini  
*jota* cum eadem vocali in Mscr. Cod. permu-  
tatur; Inprimis cum dictabantur librario  
verba: Ut facillime *νῆτταρον* in *νῆτταρον* po-  
tuerit migrare. *Νῆττα* *anas* autem & *Φάττα*  
*palumbes*, unde diminutiva illa sunt, apud  
Aristophanem junguntur Pace. vl. 1004. uti  
& *νῆττα* & *Φάττα* apud Pollucem L. VI: §.  
52. Et ista haec tamen neutiquam  
eum in finem prolata credat quispiam, quo  
castos Solomonis amores cum improbitate ha-  
rum scortillarum permutatū iri vellē: Sed eum  
in finē scripta, quo *communis amantiū loquendi*  
*usus* eorumq; hoc ὑποκόρισμα haec loca quodam  
modo luce clariore perfundat, cum omnes in  
Cantico voces ex amore *naturali & humano* ad  
*divinum & spiritualem* transferantur, quem-  
U § admo-

admodum innumera! in divinis litteris ἀν-  
 θρωποπαθῶς dicuntur & ad communes homi-  
 num cum *agendi* tum *loquendi* usus respici-  
 unt. Atque inde & hic observandum est,  
 perite admodum ἡγῆσθαι reddidisse interpretes  
 Alexandrinos per *περσεραί μὲν*, non vero  
*φάσσα μὲν* aut *φάττιον μὲν*. Nam *περσεραί* vo-  
 cari *castas* mulieres, quas amamus justum in  
 modum, *φάσσαι* vero *Meretrices* & scortanos  
 docet egregie Artemidor, L. II: oneirocr.  
 cap. 20.

§.10. Luc. II:1. legitur ΔΟΓΜΑ a Caesare Augu-  
 sto exiisse, cujus vocis hic occurrit sensus *Juri-*  
*dicus*, adeoque ex veteri *jure* illustrandus est. E-  
 tenim quod latini *decretum*, (c) id Græci ἔτι vo-  
 cant δόγμα. Sic Demosthenes *Legem* definivit,  
 ut legimus ex Marciani L. I: Instit. in l. 2.  
*D. de Legib.* τῶν ἐπιπέσει νόμος, ὃ πάντας ἀνθρώπους  
 προσήκει πειθεσθαι διὰ πόλιν, ἢ μάλις, ὅτι πᾶς ἐστὶ  
 νόμος, εὐρημα μὲν ἢ δῶρον Θεῶν, ΔΟΓΜΑ δὲ ἀν-  
 θρώπων φρονίμων κ. τ. λ. i. e. *Lex est cui omnes*  
*obtemperare convenit, tum ob alia multa, tum vel*  
*maxi-*

(c) Alias Dogma esse *decretum* nos docet ipse Cicero A-  
 cad. Quæst. L. IV. c. 9. *Sapientia neque de se ipsa du-*  
*bitare debet, neque de suis decretis, quæ Philosophi vo-*  
*cant δογματα.* Et Paulo post. *Quoniam id haberent*  
*Academici decretum, (sentitis enim jam hoc me*  
*ΔΟΓΜΑ dicere) nihil posse percipi.* Sic Hesychius  
 hanc vocem explicat per, νομοθεσίαν, προσαξίν.

maxime eo, quod omnis Lex inventum ac munus  
 Dei est, **DECRETUM** vero prudentum hominum.  
 Aut ut Papinianus reddit **L. I: Defin. in l. 1. D.**  
**Eod.** Lex est commune praecceptum virorum prudentum  
**CONSULTUM.** Sic & *Senatus consultum* vocatur  
**ΔΟΓΜΑ** τῆς συγκλήτης Ἑλλῆς in **l. 2. §. 3. H.**  
**ad SC. Vellejan.** Hoc *Divus Pius & Severus* rescripse-  
 runt. Nam *deceptis non decipientibus opitulatur.*  
 (**Sc. Vellejanum**) Et est *Graecum Severi* tale re-  
 scriptum. Ταῖς ἀπατώσας γυναῖζιν τὸ ΔΟΓ-  
 ΜΑ τῆς συγκλήτης Ἑλλῆς ἔβουθεῖ. Hinc *Hesy-*  
*chius* δόγματα exponit προστάγματα. Etiam  
 pro *decreto Regis* occurrit saepe δόγμα apud  
*Danielem*, uti **Cap. VI: 26.** ἐκπροσώπων μὲν  
 ἐτέθη ΔΟΓΜΑ τῆτο ἐν πάσῃ ἀρχῇ τῆς βασι-  
 λείας μὲν. Vide & omnino **Cap. V: 17. II:**  
**13. III: 12, 29. & VI: 8-10.** Hinc quae in  
*conciliis Patrum decreta* fuere doctrinae ca-  
 pita, nomen accepisse *dogmatum*, res pro-  
 trita est. Sic in *Concilio omnium Primo*  
*Hierosolymitano* **Aēt. XV: 22.** τὸ τὲ ἘΔΟΞΕ  
 τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις. Et **v. 28.**  
 ἘΔΟΞΕ γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν.

§. II.

Et in *Glossis* idem est *Decretum*, ψηφισμα, δόγμα,  
 ἐπικριμα; Adde locum **Aēt. XVI: 4.** Tradebant iis  
*custodienda* τὰ ΔΟΓΜΑΤΑ κεκριμένα ab *Apostolis*  
 & *senioribus*, qui erant *Hierosolymae*. Et in primis  
**Aēt. XVII: 7.** Illi omnes agunt ἀπειναντι τῶν ΔΟΓ-  
 ΜΑΤΩΝ contra *edicta Caesaris*, dicentes *Jesum*  
*esse alium regem.* T. d. H.

§. 11. Nota est elegans sospitatoris nostri rationatio, *Nemo potest duobus Dominis servire* &c. Matth. VI: 24. Luc. XVI: 13. Nescio an quapiam ex re possit ea sententia magis illustrari, quam *publico* & ex *Jure feudali* deprompto exemplo vassalli *ligii*, qui a domino directo accepit feudum *ligium* seu *homologatum*. Ejusmodi enim vassallus, contra *omnes* domini *ligii hostes* servitia militiae praestare tenetur. Hujusmodi Vassalli *ligii* sunt omnes status imperii Romano-Germanici. Potest itaque contingere, ut aliquis sit vassallus *ligius plurium* dominorum. Si itaque hi *domini*, quorum *unicuique* vassallus *ligius* contra *omnes* tenetur praestare servitia militiae, inter *se ipsos* bellum gerant; (Ex. gr. Imperator cum Regibus Franciae, Hispaniae, Angliae &c. Et vicissim) Certe vassallus etsi utriusque *ligius*, *utrique tamen simul* contra *alterum* servire non potest. *Nemo enim potest duobus contrariis dominis servire*. Hinc quid eo in casu obtineat est intricata juris feudalis quaestio.

§. 12. Placent nobis argumenta Hartmanni Pistoris, qui L. II: de Feudis quaest. 36. late agens hac de re, definit posse, vassallum ejusmodi, si sciat uter *antiquior* sit dominus, cui *primum iusjurandum fidelitatis ligiae* juravit, servire huic antiquiori contra *noviorem*

viorem in *persona*, ne misso quidem noviori *substituto*. Veruntamen, si vasallus, uter eorum antiquior, ignoret; ipsis dominis injungendam esse probationem antiquitatis & praeserentiae. Nulli vero eorum teneri servire vasallum antea, quam, uter antiquior sit, probaverint. Ratio, quia nemo duobus potest contrariis servire dominis simul. At, potest vasallus ligius *duobus* servire dominis, siquidem sibi invicem non sint contrarii, sed bellum gerant contra *tertium*. Quod si enim *simul* domini *utrique* contra tertium belligerent, servire debet *antiquiori* in *persona*, ut ajunt, noviori per *substitutum*. 2. F. 7. 2. F. 28. 2. F. 99. At, ignorante vasallo, uter sit antiquior, placet sententia Koblii, qui n. II. de Servit. vult ei a quo *minus* feudū adeoq; minus beneficiū habet, *substitutum* mitti posse. Illi vero, cui ex *majoris* feudi beneficio obstrictus est, in *persona* serviendū esse. Atq; ita quis duobus potest servire dominis, quo neutrum habeat despectui, ut Sospitator noster loquitur. Haec produximus, quo ostendamus notitiam jurium nonnunquam ad illustrationem SS. litterarum aliquid conferre.

§. 13. Lucae. IV: 39. Christus morbo periclitantem foeminam liberaturus a febrilibus ignibus dicitur, ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ. Reddunt omnes ἐπάνω *SUPRA* eam. Id vero qua ratione factum sit, ut Christus stare *supra* aegrotantem potuerit

erit, varia comminiscuntur. Tu vero redde APUD seu JUXTA aut PROPTER *illam* (neben ihr) scilicet ad *lecti* *latus*. Et nota simul hanc locutionem referendam esse inter *Hebraismos*, quod neque Vorstius, neque alii, quantum memini, notarunt. Particula enim לַי apud Hebraeos notat, ut infinitis in locis *supra*, sic totidem *juxta*, *apud*: vide Ezech. XXV: 9. ubi לַי לַי &c. Alexandrini ΕΠΑΝΩ πηγῆς ἢ πόλεως παραθαλασσίας. h. e. *juxta fontem* &c. Hoc autem convenit cum illo Homeri ΙΙ: α': παρα θίνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης: Sic Jerem. XXXV: 4. ΕΠΑΝΩ τῆ εἰς Μασσαίαν, ad *domum* reddendum, non *supra*. Etiam לַי לַי notat *juxta* Dan. XII: 6, 7. Alexandrini ἢ εἶπε τῷ ἀνδρὶ τῷ ἐνδεδυμένῳ ἰὰ Βαδδὶν, ὅς ἦν ΕΠΑΝΩ τῆ ὕδατος τῆ ποταμῆ, h. e. qui stabat aut ambulabat *juxta fluvium in ejus litore*.

§. 14. Eleganter, ut puto, ex his locis illustrabitur alter Esaia VI: 2. qui aequè torfit interpretes praeter Grotium, virum in eruendo litterali sensu SS. litterarum incomparabilem. Cum enim ibi Deus celebri & splendida visione gloriam suam Prophetæ manifestam reddebat, seque conspicuum sedentem, more regum orientis, in throno sublimi splendidi palatii, longaque talari indutum: refertur quoque adfuisse ipsi *ministros*, more eorundem regum solenni. Hi sunt *Semphini*, qui alati adstitisse dicuntur לַי לַי. Ea vox ut plurimum hec loci redditur

ditur *desuper*, sed *perperam*. Exponenda ea  
*apud, juxta, ad latus*. Hoc non solum loca  
 priora, sed & consuetus *ministorum appari-*  
*torumque* regionum locus, qui *juxta* eos aut  
 ad latus regum, in thronis sedentium,  
 stant, comprobabunt. Corrige itaque &  
 versionem Germanicam, quae habet *Sera-*  
*phim stunden über ihm & redde neben ihm* sive  
*ihm zur Seite* / aut etiam *um ihm*. Atque  
 ita & ea quaestione, sine causa ab interpre-  
 tibus mota, supersedere poteris, qui Seraphi-  
 ni *supra* Deum steterint? Attendendum hic  
 fuisset ad Alexandrinorum interpretum ver-  
 sionem, quae saepe pessime negligitur, quae  
 optime reddunt *κύκλω αὐτῶν* eos stetisse h. e.  
*stano regum thronum ambiisse*, idque ex thro-  
 ni loco non intelligendum de ambitu *circulæ*  
 sed *semicirculi*. Confer locum plane paral-  
 lelum Apocal. IV: 5. ubi aequè *κύκλω* oc-  
 currit pro *juxta* in semicirculi figura. Aequè  
 vero & Symmachus reddiderunt locum  
 Ἐπιάνω αὐτῶν usi eadem, qua D. Lucas  
 phrasi, ut a Græcae linguae indole eo sensu,  
 quem indicavimus, alieniori, sic aperte He-  
 braicum loquendi genium redolente. Haec  
 speciminis loco satis sint. Plura alio tempo-  
 re, volente Deo, exhibebimus.

HADRIANI RELANDI,  
DE  
UXORE DOMISEDA.

In Epist. ad Titum, cap. II. comm. 5.  
ΟΙΚΟΥΡΟΥΣ ΑΓΑΘΑΣ.

DISPUTATIO (a) PHILOLOGICA.



§. I.

Si originem vocis spectes, οἰκοῦρος  
est *custos domus*. Libanius in O-  
reste pag. 293. unum per alterum  
ex.

(a) Habuerat hanc in Academia Ultrajectina celeberrimus Auctor ipse Kal, Decembribus anni superioris, atque ad nos adlegaverat, his ut fasciculis infereretur. Vide quae supra p. 86 & 87. notaveramus, in quam eum incido, video sententiam illam, qua Trypho Justini M. Antagonista a celebri Judaeorum Magistro Tarphone non diversum fuisse existimatur, me tanquam primo ejus Auctori tribuisse Joh. Lightfoot. At, ut dies diem docet, ita deinde comperi, id jam antea in mentem venisse Joh. DRUSIO, in libro de tribus sectis Judaeorum, L. II. cap. XI, p. m. 248. editionis Triglandianae, ubi ita scribit. *Sed quis Terphon? in manuscripto Telpbon, puto legendum Terphon, qui & Tarphon, & Τρυφων. Si modo is est Terphon, qui cum Justinus disputationem habuit. Certe tempora non repugnant. Et deinde p. 259. Ita vocantur à Justino in dialogo πρὸς Τρυφωνα, quem Terphon sive Tarphon esse putarim, qui Justino coaevus fuit. T. d. H.*

explicare videtur, Agamemnomem inducens  
 ita alloquentem Clytemnestram, οἰκῆται καὶ  
 φύλαξ ἔσο τῆς οἰκίας πιστή. Quod attinet ad  
 usum, opponitur ὑπαίθριον βίον ἀγειν. Nos  
 adversus hostes ibimus; vos οἰκρεῖτε ἀμα ταῖς  
 γυναῖξιν, domi manete cum mulierculis, dixisse  
 fertur C. Horatius apud Dionysium Halicar-  
 nassensem lib. x. Antiq. Roman. Dinarchus  
 oratione contra Demosthenem pag. 100. edit. Ste-  
 phan. permutat synonyma οἰκρὸς & οἶκος μέ-  
 νων, sic ut is qui otiosus domi confidet οἰκρ-  
 ρὸς Græcis dicatur. Plutarchus in Pericle pag.  
 171. scribit quosdam coactos διαλειᾶσθαι δια-  
 ταν οἰκρὸν καὶ ἀργον vitam domesticam & otio-  
 sam agere in angustiis aedibus & tabernaculis,  
 otium jungens cum οἰκρῆα. Ita idem in  
 quaestionibus Romanis οἰκρῆαν & laborem  
 domesticum ipsum sive ἐνεργεῖαν distinguit,  
 scribens Cajae Ceciliae, uxori unius e filiis  
 Tarquinii statuam erectam esse, ita ut fan-  
 dalia οἰκρῆας αὐτῆς, fusi vero ἐνεργείας σύμβο-  
 λον essent. Hanc ἐνεργεῖαν in matronis aetatis  
 suae desiderabat Columella scribens, quum  
 & apud Graecos & Romanos usque in patrum me-  
 moriam fere domesticus labor matronalis fuerit,  
 suo tempore plerasque sic luxu & inertia defluere ut  
 ne lanificii quidem curam suscipere dignentur, sed  
 domi sedentes confectas vestes fastidio haberent, per-  
 versaque cupidine pretiosiores alias a viris pellice-  
 rent. Ipsa illa conclavia, aedium in quibus  
 confidere solebant matresfamilias, οἶκοι  
 III. Fascicul. X di.

dicebantur, uti Vitruvius notat VI. IO. *In-  
trorsus constituuntur oeci magni, in quibus matres-  
familiarum cum lanificis habent sessiones.*

§. 2. Quid ergo dicendum est? Exclu-  
ditne *οικερία* domesticam diligentiam, uti  
Columella loquitur, & curam domus? An  
id solum vult apostolus, ut domi se contine-  
ant matronae? an non probabile est, curam  
rei familiaris sub *οικερίας* nomine latere, quum  
solum *οικερεῖν*, & intra privatos parietes com-  
morari, virtus non fit? Respondeo, uno  
commendato alterum non rejici. Nil cogit o-  
mne officium bonae matrisfamilias una voce  
complecti. An virtus non est vitium fuge-  
re? Nonne reprehenduntur mulieres a Salo-  
mone, quarum pedes domi suae non rema-  
nent? An non ipsa illa mora in domo hac  
certe efficitur, ut res familiaris, quantum  
necesse est, curari, tentationes multae & oc-  
casiones peccandi, piae mentis familiaritas  
cum Deo augeri, atque universim illa ac-  
quiri aut promoveri possint, quae mulierem  
Christianam in hac vita decent? Existimem  
ergo heic *οικερίαν* & *ἀπὸ τῆς οἰκίας ἐξόδου* opponi,  
voce & *οικερεῖν* hoc in loco respicere scriptorem  
sacrum ad solam commorationem in aedibus,  
quae opponitur pravae consuetudini mulier-  
cularum, quae malunt domi alienae esse, quam  
suae, & limine suo deserto gaudent circum-  
ire aedes aliarum, *περιερχόμεναι ταῖς οἰκίας,*  
& simul sunt *φλύαροι, περιεργοί, λαλεῖσαι τὰ*

μη

μη δέοντα, *nugaces curiosae & loquentes, quae non conveniunt.* 1. Timoth. V. 13. *Vicinas, aliasque mulieres, quam minimum utatur . . . neve ambulatrix fiet,* legitur de villica apud Catonem de re rustica. c. 145.

§. 3. Vulgatum itaque interpretem, qui *οικρπς* reddit *domus curam habentes*, minus probo. Aliud est domi confidere, aliud domus curam habere. *οικρπν* est, quod Xenophon in oeconomico vocat *ἐνδον μένειν*, & faeminis convenire scribit, *limen servare*, Virgilio Aeneid. vi. 402.

*Castalict patrii servet Proserpina limen.*

Usurpari tamen posse *οικρπν* etiam de mari-  
bus, ante ex Dinarcho vidimus. Zosimum  
addimus ( ut non antiquissimae aetati pro-  
prium hunc usum fuisse vocis *οικρπν* lique-  
at ) lib. 11. historiarum scribentem *οικητορας*  
*incolas Byzantii η̄ οικρπντας η̄ εν ταϊς ἀγυι-*  
*αϊς ὄντας*, five domi essent five in compitis,  
arctatos fuisse. Eustathius in comm. ad Ho-  
meri odyss. I. 1. *Ἰσέον δὲ ὀτίδεις οἶκον ἰέναι ταυ-*  
*τόν ἐσι τῷ οικρπν* *Sciendum illud ( quod Thelema-*  
*chus matri dicit ) ut domum eat, idem esse ac οικρ-*  
*πν.* *οικοδεσποτεν* vero est domus curam  
gerere, quo Paulus utitur 1. Tim. V. 14.  
Praetulerim ergo interpretes Belgas qui ha-  
bent, *het huys te bewaren*, & alios recentio-  
res, qui *οικρπς* vertunt *domi manentes.* *οικρ-*

ῥο's optime convenit cum τῶ *Domiseda*, quod inter alias virtutes mulierum in nonnullis inscriptionibus veterum saxorum legitur, inter quas haec est,

HIC. SITA. EST. AMYMONE  
MARCI. OPTIMA. ET. PULCHER  
RIMA. LANIFICA. PIA. PUDICA.  
FRUGI. CASTA. DOMISEDA.

Uti titulus *Domisedae* hic non indicat ipsam curam rei domesticae, sed quod faemina limen viri servaverit, amaveritque, uti Poëtae loquuntur, & in aedibus mariti esse maluerit, quam alibi vagari, & externis confortiis frui, & οἰκερῶ's huc unice videtur referendum. Colligere quidem datur ex eo, quod mulier *domiseda* fuerit, eam rei domesticae curam gessisse, sed alia tamen vis subjecta est illis, alia his vocibus. Videtur ergo Hesychius, οἰκερῶ's reddens ὁ φροντίζων τὰ τῆ οἴκου καὶ φυλάττων οὐρ. γὰρ ὁ φύλαξ λέγεται, qui curam habet illorum quae domestica sunt, eaque custodit: nam ἔπος est custos, ad originem vocis magis attendisse, quam usum. Notare enim illam *domi manere*, sine respectu ad custodiam rerum domo contentarum, putamus satis esse evidens. Unicum addimus ex Demosthene exemplum, oratione in Neaeram, pag. 529. ubi δικαίως οἰκερεῖν, id est, *caste, sive uti fas est, in domo sua*

vero

versari opponitur τῶ μὴ σωφρονεῖν, non pudice se gerere. Agitur enim illic de lege Attica, qua mulieribus adulterii convictis gravis poena erat constituta: Atque adeo οἰκερεῖν erit *domum servare*, quod in inscriptione veteri Claudiae matronæ laudi datur, quam vide in Ferreti Musis lapidariis, pag. 51.

\* \* \*

DOMUM. SERVAVIT.  
LANAM. FECIT. DIXI.  
ABI.

*Servare* est incolere, inhabitare, quo Servius Virgilianum hoc refert ex Aeneide VII, 52.

*Sola domum & tantas servabat filia sedes.*

§. 4. Quae quum ita se habeant, nullo negotio deprehendet prudens lector me illi sententiae favere, quae οἰκερεῖς ἀγαθὰς in his Apostoli verbis divellit. Si enim οἰκεροῖς dicatur domi manens, illud ἀγαθὰς non conjungatur adeo apte cum eo, ac quum οἰκεροῖς redditur, quae curam domus habet; quamvis non negem Graece dici posse οἰκεροῖς ἀγαθὴν, uti Φειδωλος ἀγαθὴ & similia. Verum & alia hanc sententiam reddunt probabilem. Quum hic singulae virtutes una voce, quantum fieri potest, indicatae recenseantur, (uti cap. I, 8.) & utraque vox rem diversam, quae orna-

X<sub>3</sub>

mento

mento est matronis, animo legentis offerat, vocumque vim & emphasin augere praestet, quam minuere, quidni credamus in τῷ ἀγαθῷ alteram latere virtutem? *Benignas* vertit vulgatus. Non repugno. Ita & in glossis veteribus est: Ἀγαθός, *bonus, benignus*. Ἀγαθή esse debet matrona. Domi se continens ita se gerat, ut domestici non habeant, quod de incommotis ejus moribus conquerantur: & tum additur de officio ejus erga maritum, sit ὑποτασσομένη τῷ ἰδίῳ ἀνδρὶ, *suo marito subiecta*; atque ita apte omnia cohaerebunt. Ἀγαθός & ἐπιεικής dominus ita dicitur 1. Petr. 2: 18. opponiturque τῷ σκολιῷ, sic ut necesse non sit voci φιλαγαθούς hic locum quaerere pro ἀγαθῷ, quod Pricaeus vellet. Isaacus Casaubonus, in epistola ad Bezam, quae extat inter epistolas ejus, novissimae editionis Almeloventii, collegae quondam nostri in Academia Harderovicena conjunctissimi, pag. 79. de hac ipsa re differens profitetur se non assentiri iis, qui tollendam putant distinctionem inter οἰκερὲς ἀγαθῷ, & alia huc confert, quae illic legi queunt. Nos illud addimus, quod ante biennium demum orbi erudito, de quo optime mereri pergit quotidie, per Montefalconium innotuit. Est inter codices manuscriptos bibliothecae Coislinianae unus, inter antiquissimos Europae numerandus, uti ipse Montefalconius censet (& quis eo peritior?) complectens partem

tem epistolarum Pauli collatam, uti ipse scriptor testatur, cum codice manu ipsius Pamphili, notissimi illius, exarato in bibliotheca Caesareae Palaestinae. In eo verba codicis sacri majusculis literis ita scripta sunt, ut, quum res videbatur postulare duas voces esse divellendas, nihil in illo versu post primam scribatur, sed novi initium fiat. Ita illic verba, de quibus agimus, leguntur una cum antecedentibus.

Πρεσβύτιδας ὡσαύτως
Ἐν καλασθήματι ἱερῶ
πρεπείς
Μὴ διαβόλους
Μὴ ὄντα πομπῶν δεδε-
λωμένας
Καλοδιδασκάλους
Ἴνα σωφρονίζουσιν
ταῖς νέας
Φιλάνδρους εἶναι
Φιλοτέκνους
Σώφρονας
Ἁγνάς
Οἰκτρῆς
Ἀγαθαίς

Istiusmodi codices appellabantur τεύχη σίχη-  
ρα, uti apud eundem Montefalconium vi-  
dere est, eodem loco, pag. 260. descripti-  
onis codicum manuscriptorum Graecorum

bibliothecæ Coislinianæ. De his *εἰχοῖς* Novi Testamenti plura habet Croius observat. in N. T. *cap. 1. & seqq.* Ita & apud Dionem Casium lib. LVI. legitur ΟΙΚΟΥΡΟΣ solum, & a cura domus ac liberorum distinguitur, *γυνὴ σώφρων, ΟΙΚΟΥΡΟΣ, οἰκονομος, παιδοεργός & c.* uxor pudica, domise continens, curam domus gerens, liberorum educatrix.

§. 5. Unum addo. Codex Alexandrinus *οικουγῆς* habet pro *οικουγῆς*, pro clivi mutatione. Verum non est, quamobrem aliorum eorumque plurimorum codicum scripturae illum praeferamus. Facit tamen ut recorder alterius loci in epistola 1. Clementis ad Corinthios pag. 3. editionis Junii. *Ἐν τῷ κανόνι τῆς ὑποταγῆς ὑπαρχέσας τὰ κατὰ τὸν οἶκον σεμνῶς οἰκουργεῖν ἐδιδάσκετε, πάνυ σωφρονούσας,* In obedientiae canone se cominentes, ea quae domestica sunt administrare pudice & temperanter docebatis. *Οικουρεῖν* hic pro *οικουργεῖν* Boisius substituit, Eliensis Canonicus. Junius *αὐλουργεῖν* praeferit, quando quidem mox praecesserat *τὸν οἶκον*. Ego, quum codices non praeant, nihil muto. Non solet auctor illus epistolae adeo solícite vitare concursum vocum earundem, aut similibus in exiguo verborum ambitu. Quid? quod ipsi illi, qui munditiem sermonis Graeci sectantur maxime *τὰ ἐν τῇ οἰκίᾳ* vel *τὴν οἰκίαν διοικεῖν, οἶκον οἰκοδομεῖν,* & similia usurpare non vereantur.

JOHANNIS GEORGII  
ECCARDI,

Potentiss. M. Britanniaë Regis, atque  
Elect. Brunsvicensis  
à Consiliis & Bibliotheca,  
DE

ORMISTA MUNDI,

Quem titulum P. OROSIUS suis historia-  
rum libris præfixit,

DISSERTATIO.

SUMMARIUM.

**V**ariæ vocislectiones *Ormista*, *Hormesta*, *Ormeſta*  
§. 1. De ea conjecturae *Vossii* §. 2. *Barthii*, *Pighii*,  
*Schilteri*. §. 3. Origo ejus ex circumstantiis temporum,  
& à Gothis, qui tum Italiam occupaverant, petenda  
est §. 4. Occasio illius scripti *Orosio* data §. 5. Gothi-  
ca vocabula in litaniiis Christianorum; *Si hora armen*  
§. 6. *Arman*, *armida* *earmhorst*, *armst*, *armista*. §. 7.  
Hinc *Ormist*, *Ormista*, i. e. *miseria*. Hinc liber *Orosii*  
inſcriptus *de Miseria mundi* §. 8.



§. I.

**O**rosii Historiarum libros in vete-  
ribus Codicibus *Ormistam mundi*  
inſcribi, notum est inter erudi-  
tos. Hoc certe sub titulo *Oxo-*  
*nii* in Bibliotheca *Balleolenſi* extare *Jameſius*

X 5

testa-

testatur. Vincentius in Speculo, Trithe-  
 mius, Gesnerus, & alii *Hormestam* scribunt.  
 Apud Balzum Cent. II. cap. 26. narratur, Al-  
 fredum Regem Anglorum *Hormestam Pauli*  
*Orosii* in linguam Anglicam transtulisse. Or-  
 dericus Vitalis lib. V. pag. 558. *Orosius*, ait,  
*Presbyter, qui librum de Ormesta mundi scripsit,*  
 &c. Ita etiam in MSto Galliarum Regis O-  
 rosii Historiam inscribi testatur Langius in  
 Glossario Latinitatis inferioris sub voce *Orme-*  
*sta*. Codices Manuscripti Collegii Navarræ  
 Parisiensis, Monasterii Dunensis in Flandria,  
 Vallis S. Martini Lovanii & alii, eodem teste,  
*Ormestam* simpliciter præferunt. In Guelfer-  
 bytana Bibliotheca tres Codices Orosii repe-  
 riri, quorum duo titulo carent; unus autem  
 seculo undecimo scriptus præfert: *Ormista*  
*Orosii. Incipit liber primus. Et post Præfatio-*  
*nem legitur: Explicit prologus. Incipit liber*  
*primus Ormista Orosii.* Inter Gudianos Codi-  
 ces, quos eidem Bibliothecæ, una cum Il-  
 lustri quondam Leibnitio, intuli, est Codex  
 membranaceus recentior, quem Celeberri-  
 mus Marquardus Gudius cum aliis Codici-  
 bus, Medicæo nempe & Veneto contulerat,  
 ipsique hæc verba prænotaverat: *Collatus cum*  
*Veneto S. Marci Scamn. III. num. 15. & Medicæo*  
*S. Laurentii Scamn. LXI. antiquissimo literis un-*  
*cialibus plane iisdem; quibus Pandectæ Florenti-*  
*næ sunt scriptæ; quæ autem in hoc Medicæo defi-*  
*ciabant, postea ex Veneto valde etiam vetusto Co-*  
 dice

*dice sunt petita.* Ex utroque autem MSto Gudius inscriptionem præfixerat sua manu talem: *P. Orosii de Ormesta mundi.* Post vitam deinde Orosii ex Gennadio defunctam sequitur in iisdem Codicibus, Gudius observante: *Incipit prologus libri Orosii Presbyteri de Ormesta mundi contra paganos.* Ut adeo ex tot vetustissimis Codicibus pateat, vocem *Ormista* vel *Ormeſta* non esse depravatam, sed genuinam.

§. 2. Vosius lib. II. de Histor. Latin. cap. 14. mire se torquet in ejusdem explicatione & modo ab ὀρμεστῆς, modo ab ὀρμεστος descendere conjicit. Idem facit Bivarius in notis ad Pseudo-Dextrum pag. 431. Tandem Vosio præceteris placet, eam corruptam esse ex vocibus *hominum miseria*, quæ non integræ, sed compendio quodam literarum fuerint exaratae. Hoc ipsi eo verisimilius videtur; quia observavit Scriptorem Prolegomenum in Tomos Historiæ Orientalis asserere, se vidisse Codicem, qui inscriptus fuerit *de miseria hominum.* E Gennadii tamen elogio Orosii clarum est, etiam *de miseria mundi* librum fuisse nominatum. Verba Gennadii hæc sunt: *Orosius Presbyter Hispani generis, vir eloquens & historiarum cognitor, scripsit adversus querulos & infamatores Christiani nominis, qui dicunt defectum Romane reipublice Christi doctrina invecum, libros septem, in quibus totius pene MUNDI CALAMITATES ET MISERIAS bellorumque, inquietudines replicans, ostendit,*  
*magis*

*magis Christianæ observantiæ esse, quod contra meritum suum Respublica Romana adhuc duraret & pace cultura Dei pacatum retineret (a) imperium.*

S. 3. Caspar Barthius eodem fere cum Vossio modo statuit, epigraphen hanc ex verbis tituli *Oros. de miser. hom.* enatam esse. Sed Stephanus Vinandus Pighius in *Hercule Proditio* pag. 12. verum & genuinum titulum *Orchestram mundi* fuisse existimat, quod barbari in *Ormeſtam* corruerint. Assentiuntur ei Andr. Schottus in *Præfat. ad Orosium*, (b) Joh. Isaacus Pontanus in *Epistola ab Ant. Matth. post Alciati libellum contra vitam Monasticam* pag. 248. edita & Reinesius *Lection.*

(a) Exemplar meum a viro docto cum Codice MSto collatum hic legit *retinere*.

(b) Ut & in Bibliotheca Hispanica p. m. 206: est enim ille, ejus author, qui sub literis initialibus A. S. latere voluit. Balth. Bonifacius in libro de Romanae historiae script. c. 31. suspicatur esse luxationem quandam duorum vocabulorum, a notariis per compendia literarum atque apicum, celeritatis causa scribentibus, coagmentatorum, scriptumque esse *Ormeſta* pro eo, quod est OR. MESTA, hoc est. *Orbis mestitia*, sive potius OR. M. ISTA; hoc est, Orosii Mundi historia. Joh. Bapt. Costelierius ab *Ogum*, quatenus motum & agitationem denotat, derivandam putat in *Notis ad T. II. mon. Eccl. Gr.* p. 621. Non pauci heic ignorantiam suam fatentur, inter quos est G. Cavius, qui de ejus nominis causa facilius putat *divinare, quam certi aliquid statuere.* T. d. H.

Etion. Variar. lib. III, cap. 3, pag. 386. Joh. Schilterus Animadvers. II, ad Chronicon Konigshovii pag. 455, sq. has opiniones merito improbens, non tamen meliorem profert. Sed statuit *Hormestæ* vocabulum corruptum esse a barbaris & Afris ex Græco *ὄραμα*, *visio*: ita vero dici Orosii opus, eo modo, quo *historia* ab *ισογειν* videre, cognoscere, derivatur. Omnes autem has deflexiones vocis *Ormistæ* violentas & plerumque etiam contra fidem veterum Codicum esse, quis non videt? Meam itaque producam, temporibus illis & moribus eorundem ut puto, convenientiorem.

§. 4. Orosius eo tempore scribebat, quo Occidentis imperium variarum gentium irruptionibus turbatum, sub tyrannide non barbarorum solum; sed Imperatorum quoque suorum gemebat. Roma ipsa a Gothorum Rege Alarico anno Christi 413, capta & devastata, omnisque Italia in summam miseriam redacta erat. Passim tunc superstites vivebant non pauci veteribus Romanorum superstitionibus addicti, qui omnia mala ab iratis Diis, quod nempe sacra eorum a Christianis abolita & contempta fuissent, venire clamitabant & scribebant. Ex iis superest nobis Zosimus, qui in suis Historiarum libris hæc & talia ubique fere ingerit. Ita enim refert Gratianum pœna fatali periisse, quod Pontificis Maximi vestem more majorum accipe-

cipere, Christianum se professus, atque a cultu Deorum alienum, recusasset. Narrat Senatum contra Theodosium, pro defensione avitæ patriæque religionis, antiquitatem paganorum rituum, ab ipsa origine urbis & ultimis repetitam seculis, allegasse, quibus observatis ad mille ducentos annos incolume fuerit imperium populi Romani: & expertem rationis fidem tam priscis augustisque, ceremoniis minime præferendam censuisse. Tradit porro Zosimus, Theodosium ritum legemque sacrorum, quæ perpetuo ex instituto majorum esse deberent, abolevisse: sumtus sacrificiorum de publico fieri prohibuisse: militares ex iis annonas erogari, pro tutela imperii, mandasse. Queritur tandem, hunc & simulacra de medio sustulisse, nec multo post aureas argenteasque statuas conflatas; nummos ex ornamentis eorundem maximi pretii redactos, barbarisque datos, Alarici placandi causa: Matrem Deum Rheam mundo suo, nefario Serenæ, quæ nata fratre Theodosii majoris erat, sacrilegio spoliata; ab ejusdemque marito Stilicone laminas aureas magni ponderis, quibus obductæ Capitolini templi fores erant, direptas atque hinc illas temporis sui miseriam & Principum calamitates derivat.

§. 5. Christiani interim, tyrannidis Imperatorum & tot exactio-num pertæsi, Gothis, utpote Christianis, non illibenter parebant.

rebant. Indicat hoc non uno in loco Augustinus, qui etiam Opus suum *de Civitate Dei* contra eosdem scripsit, qui temporum illorum calamitatem in religionem Christianam & contemptum Deorum gentilium rejecerant, Idem Augustinus Orosium incitavit, ut in eundem finem librum de *miseria mundi* sive Historiam quandam universalem componeret. Orosius hicce cum libro VII. cap. 41. dixisset, juste Barbarorum irruptiones expertos fuisse Romanos, clementiam divinam extollit, quod *quisque* e locis a Gothis, quos tamen non nominat, occupatis egrediens, quo abire vellet, *ipsis barbaris mercenariis ministris ac defensoribus uteretur.* Hoc, pergit, tunc ultro ipsi offerebant. Et qui omnia auferre poterant, particulam stipendii ob mercedem servitii sui & transvecti oneris flagitabant. Addit porro: *Quanquam* & post hoc quoque continuo barbari execrati gladios suos ad aratra conversi sunt, residuosque Romanos, ut socios modo & amicos, fovent, ut inveniantur jam inter eos quidam Romani, qui malint inter barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere. *Quanquam*, si ob hoc solum barbari Romanis finibus immissi forent, quod vulgo per Orientem & Occidentem Ecclesia Christi Hunnis, Suevis, Vandalis & Burgundionibus, diversisque & in numeris credentium populis replentur, laudanda & attollenda Dei misericordia videretur; quandoquidem, & si cum

labe-

labefactione nostri tanta gentes agnitionem veritatis acciperent, quam invenire utique, nisi hac occasione, non possent. Gothis hoc modo Christiani permixti erant, qui etiam, ut ipsis eo melius placerent, pristinum sermonem Gothicis vocabulis interstinguebant, adeo, ut & in Litaniis loco verborum *Domine miserere*, canerent: *Si hora armen*, Testis est Augustinus Epist. CLXXVIII. scribens: *Si licet dicere non solum barbaris (Gothis) lingua sua, sed etiam Romanis SI HORA ARMEN, quod interpretatur: DOMINE MISERERE, cur non liceret in Conciliis Patrum, in ipsa terra Græcorum, unde ubique destinata est fides, lingua propria ὁμοῦσιον confiteri.* Junius in Glossario Gothico in hoc Augustini loco *Si hora armai* legendum putat; quia *armai* in Evangeliiis Gothicis Marc. X. 48. & Lucæ XVII. 13. *miserere* & *Signor*, Italis, *Seigneur* ac *Sieur* Gallis *dominum* denotet. Sed retinenda est vulgaris lectio, qua *Sis domine misericors* exprimitur, quod idem est ac *Domine miserere*, *Armen* enim est hoc loco participium temporis Præsentis a veteri *arman*, (c) *misereri*, quod præter loca citata etiam Marc. V. 19. atque alibi occurrit. Sed hæc obiter.

S. 7.

(c) Hujus sane vocis vestigia in Germanico nostro, *erbarmen* / & Belgico *ONTFERMEN*, quod est *misereri*, etiamnum superesse equis non deprehendit? Iisdem *Arm* hominem pauperem, miserum, atque adeo commiseratione dignum significare nemo nescit. T. d. H.

§. 7. Ipsa autem hæc Augustini verba cum Orofiii narratione & querelis Ethnicorum adversus Christianismum conjuncta, veram nobis vocis *Ormista* originem produunt. A veteri enim illo *arman*, misereri, varia derivata formantur. Ita *armida*, pro quo nos *armuth* dicimus, Rabano Mauro in Glossario MSto & Keroni *penuriam*, *inopiam*, *paupertatem*; atque *armherzida* Keroni *misericiordiam* de notat; unde Anglo Saxones pariter *earmhort* misericordem vocant. Imo vox hæc etiam ad Finnos pertransit, qui pro Deus miserere mei vulgo dicunt *Jumala armada minum pele ni*, quod Stiernhielmus in Lexico Ulfilano annotavit. Ab eodem verbo *arman* regulariter Substantivum formatur *ARMIST*, *ARMIST*, *miseria*; ut a *kœnnen*, posse, *Kunst*, artificium; a *kommen*, venire, *kunst*, adventus; a *vernemen*, percipere, *vernunft*, perceptio, ratio, apud veteres similiter derivata fuerunt. Posteriora duo vocabula nos tandem in *kunst* & *vernunft* corrupimus. Terminatio *st* hic contracta est ex *WIST*, *essentia*, *ens*, quod formatum est a verbo antiquo *wesen*; esse, apud Saxones reliquo. In Catechesi Weissenburgensi occurrit inde *eowist*, propria essentia, & *Samanwist*, consistentia. Vide notas ibi nostras pag. 145. 146.

§. 8. Ex hoc vero *armist* crassius paulo pronunciatum *Ormist* vel *Ormeft*, & Latina terminatione adjecta, *ORMISTIA* vel *ORME-*

*STA* sponte prodit, quo nomine Orosius li-  
 brum, qui de *miseria mundi* agebat, rectif-  
 sime inscripsit. Usus autem est, ut diximus  
 jam, ea voce præcipue in gratiam Gotho-  
 rum, retuditque simul Romanorum ethni-  
 corum diæteria, qui Christianos, Gothica  
 locutionem misericordiam divinam in Litanis  
 publicis implorantes, eadem maligne sub-  
 sannasse ac traduxisse videntur. Nec positio  
 vocalis *o* pro *a* quenquam turbare debet.  
 Permutantur hæc subinde, & rustici Thuringi  
 Suevique vulgo adhuc *orm* pro *arm* di-  
 cunt. Saxones *abne*, reliqui Germani *obne*;  
 Suevi *wohn* pro *wahn*; Saxones *wold* pro  
*wald*; Anglo-Saxones *ost* pro *ast*; nos *athem*  
 & *othem*; *babre* & *bobre*, ut plura non attingam,  
 indifferenter pronunciamus. Atque  
 & hæc de origine & significatione *Ormista*  
*Orosii* eruditis censoribus hac vice offero,  
 meliora proferentes libentissime audi-  
 turus.

DISSERTATIO THEOLOGICA

*inauguralis*

DE

IMAGINE DEI IN HOMINE &c.

Authore

DIONYSIO ANDREA  
ROELL,

H. A. F. *Franequera-Frisio*, Phil. Doct. & in  
illustri Schola *Daventriensi* Professore  
Ordin. ad diem 15. Nov. *Harderovici*  
1717. 4. 12 *philyræ*.

**D**octissimus Author, cum A. C.  
1710. Professioni Philosophicæ  
ordinariæ *Daventriæ* inaugura-  
retur, nitidissima *de modesto phi-*  
*losopho* oratione profectuum in *saniori philo-*  
*sophia* egregiorum specimen dedit. Nunc  
vero dissertatione hac, quæ ad *justi tractatus*  
formam & molem exscendit, simul docet,  
quam profundam rerum *Theologicarum* co-  
gnitionem possideat. Sive *styli elegantiam*,  
sive *ordinis concinnitatem*, sive *suavissimum*  
*Theologiæ* revelatæ & *innatæ* vinculum,  
quod quævis pagina docet, sive denique,  
translucens ubique *veræ pietatis* studium in-  
spicias, omnia dixeris, si *ubivis patriffantem*  
Y 2 dixe-

dixeris, Thema sibi nobile elegit, de quo licet multa jam a quamplurimis doctissimis Theologis ex professo pertractata esse videntur, neminem tamen pœnitebit impensæ huic commentationi temporis. Postquam materiæ pondus cum singulari modestia commendatum erat, ad tria capita dicenda p. 6. revocantur, & primo loco, quæ imaginis Dei in hominibus primis fuerit ratio: tum, quo pacto, postquam per peccatum erat amissa, per gratiam in electis instauretur: Denique, in quo perfectio ejus, expectanda in cœlis, sit reposita, indagatur.

Generatim in primo capite fundamenti loco præstruitur testimonium Mosis Gen. I. 26. נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כְּדְמוּתֵנוּ, & recensitis diversis opinionibus, pollex iis premitur, qui לִדְמוּת דֵּי אֱלֹהִים amplificationem, sic ut, ubi Deus dicit: *Faciamus hominem cum imagine nostra secundum similitudinem nostram*, intelligatur *imago similima*, probe conveniens, & ἀρχέτυπον suum exacte repræsentans. Dein subjunguntur quædam postulata, ex quibus suppositis facilis nascitur conclusio, in qua re præcise imago Dei a Mose laudata constiterit. *Primum* est: quod imaginis hæc sit ratio, ut sit similis rei, cujus dicitur imago, & ad illam, ceu exemplar, expressa atque effigiata. Sic ut archetypon, quale sit, cognosci ex ectypo illo, si non perfecte, attamen vere queat.

*Alterum* est, quod ex Mose & tota Scriptura evidens fit, scopum Dei imaginem hanc homini indentis fuisse, ut insigni genus humanum beneficio cumularer, utque per hominem præcipue perfectionum suarum gloriam referret. *Tertium* est: Omnia, quæ jam vitio hominibus vertuntur, ipsosque difformes Deo & exosos reddunt, protoplastis tunc defuisse, & ex aduerso ea in ipsis habuisse locum, quæ in illis, quos postliminio favore suo Deus dignatur, Spiritus S. vi meriti Christi operatur, & ad renovationem peccatoris pertinent; nisi si exceptionem aliquam in his res ipsa ac Revelatio suggerant. p. 7. 8.

Ex his regulis refutantur erronei variorum de imagine Dei conceptus, & præcipue Socinianorum, quibus imago Dei partim mente & ratione, ἀπλῶς & secundum se consideratis, partim, & quidem præcipue, imperio in res omnes, præsertim inferiores, primo ἰξάνημερω a Deo conditas, absolvitur: quique proin, ceu error errorem trahit, in Adami quoque posteris superstitem eam censent. pag. 9, sqq.

Hinc p. 13. accuratior & cum præmissis canonibus ad amussim conveniens imaginis Dei datur descriptio, quæ in sequentibus per partes deducitur, hoc ordine, ut primo subjectum, cui hæc imago inhæret, de-

in partes ejus essentielles, denique annexa perlustrentur.

Subjectum imaginis divinæ capax solam mentem esse probatur, & simul admittitur, ut certo respectu ea ad imaginem Dei referri queat. Quamvis enim ens cogitans non conficiat imaginem Dei, verum tamen est, illud, cum Deo, Mente perfectissima, essentia quandam similitudinem possidere: sicut, si accedant reliqua, statim memoranda, iis, quæ imaginem Dei constituunt, addi quoque natura cogitans & rationalis possit. Quo sensu Paulus ex Arato Act. XVIII. 28. 29. homines *Deigenus* esse pronunciat. Adstruitur quoque naturæ hæc similitudo ex Gen. II. 7. ubi Moses narrat Deum *inspirasse* artificiosissime constructo corpori *spiritum vitarum*, ubi per *spiritum vitarum* animam rationalem intelligi probatur, neque tamen motus corporis vitæque corporea, cum qua vitam spirituales, mentemque adeo rationalem simul productam credere consentaneum est, ab hujus dicti sensu excluditur. Quin ipse proprie dictus *halitus*, πνοή Act. XVIII. 25. & imprimis articulatus ille, qui in aëre circumfluo ab eo, quem ore naribusque tractum exspiramus, certa quadam ratione ad nutum mentis impulsio & verberato efficitur, sonus evidens præsentia mentis in hominibus præbet indicium, & non eam tantum, quæ brutis nobiscum communis est, sed & præ-

præcellentiore[m] quandam, in animi cogitationibus positam, vitam aperte declarat. a)

Ad arcem deinde causæ p. 16. sqq. ascenditur; atque ut, quid demum essentiam imaginis Dei confecerit, liquidissime comprehendatur, primo mentis oculi in ipsum Propotypon defiguntur, ut inde appareat, quænam perfectiones & virtutes divinæ ita sint compositæ, ut earum similitudo creaturæ rationali communicari queat. Recte perpensa tres potissimum perfectiones divinas in hunc censum venire demonstratur, scilicet in intellectu divino perfectissimam veri cognitionem, cum sapientia consummata

Y 4

cohæ-

(a) Confirmatur adhuc magis spiritualis Deoque similis animæ essentia ex actu *inspirationis* Deo adscripto. Reliqua corpora cum produceret Creator, *dixit* tantum, & exstabant. Hic vero *dicto* accedit *inspiratio*, quæ metaphora non tantum multo propiorem ad hoc opus producendum applicationem, sed etiam similis cujusdam essentiæ communicationem, quantum natura rei admittit, per se infert. Addo, quod, cum *spiratio* & *inspiratio* sint determinationes halitus humani, hac metaphora procul dubio respiciatur ad emblemata *halitus oris*, per quod frequentissime Spiritus S. designatur Ps. XXXIII. 6. Jes. XI. 4. Joh. XX. 24. &c. Unde colligimus, tertiam SS. Triados hypostasim singulari ratione circa productionem animæ humanæ versatam fuisse, & jam tum occulte præluisse operi in Oeconomia gratiæ præstando, quando nobiliorem hanc hominis particulam ita effungebat, & exornabat, ut in summi Dei Templum, speculumque perenne constitui posset. F. A. L.

cohærentem ; in voluntate divina amorem veritatis & ex ea profluentem sanctitatem, quæ definitur, esse *constans illa voluntas, immutabiles illas, rectissime cognitæ & unice de amatas veritates omnibus operibus suis illustrandi, nullamque earum obscurandi aut abnegandi*, ex qua fluunt omnes actus summi Numinis, in quibus bonitatem, gloriæ suæ amorem & studium, justitiam, veritatem denique constantiam & fidelitatem demonstrat: denique ex conscientia & sensu suarum perfectionum orientem imperturbatam quandam voluptatem, absolutamque beatitudinem.

His demonstratis p. 20. sqq. imago Dei in protoplastis ad istas perfectiones divinas efformatur, singulæ que partes rationibus petitis ex Mose, ex aliis scripturæ locis, & ex contraria illorum, qui hac imagine carent, conditione illustratur.

Prima ergo pars essentialis imaginis divinæ statuitur fuisse cognitio Veri, cujus limites definire velle temerarium foret, quos tamen amplissimos fuisse secure statuitur, *tum* quia non decessisset Deum, ut tam familiariter cum protoplastis ageret, si non cognovissent præcellentiam Dei, suamque ad illum *ἄξιον*; *tum* quia sine tali cognitione frustra foedus, quod Hof. VI. 7. memoratur, cum iis erectum esset: *tum* quia ea destituti non satis juste gravissimæ tentationi expositi fuissent: *tum* quia, si illa caruissent, tam subdolis machinationibus

nibus serpenti non fuisset opus: *tum* quia specimen sapientiae suae illustre Adamus in *ἰνδρὸμαλοθερία* animalium dedit. Adstruitur quoque, & mysterium Trinitatis & multa alia rationi incomperta ex revelatione supernaturali illis innotuisse. Neque enim, cum caeli & terrae Creator sitter Sanctus ille, & ad Filium non minus ac Spiritum Sanctum, quam Patrem, redire ex omnibus gloria debeat, nescire debuisse videntur, in una essentia esse tres *ὑποστάσεις*: neque etiam existimari potest, eos qui tam parvo intervallo a prima rerum origine distabant, non scivisse, quo pacto magna illa aedes exstructa esset.

Altera pars hujus imaginis, amor veritatis cum sanctitate conjunctus, in omnes actiones humanas ipsosque affectus & corporis motus influens, luculenter p. 23. lqq. describitur, & inter alia demonstratur, *sanctitatem mentis creata totam adesse simul, vel abesse, & eosdem, quos amor Dei, veritasque divina habet, limites, id est, nullos, agnoscere, quae sane assertio tam sublimis, quam in ipsa rei veritate fundata est.* Thesauro autem hoc primos homines vere gavisos esse non tantum ex ipsa natura imaginis divinae deducitur, sed etiam ex Mose demonstratur. Quo facit *tum* familiare cum Deo commercium, quod nemo, nisi, *qui in luce est*, habere potest 1. Joh. I. 7. *tum* quia *fædus* sine

amore mutuo locum habere nequit: *tum* quia ex Gen. II. 17. apparet, omne mortis genus, peccato demum oriundum abfuisse, atq; adeo vitam spiritualem eos vixisse, cum status inter mortem & vitam spiritualem medius cogitari nequeat: *tum* quod amicitia cum serpente non antea in ipsis obtinuerit, quam victi ab eo essent, unde sequitur, eos antea Dei amicos & serpentis hostes, id est Sanctos, exstitisse: *tum* quod observetur Gen. II. 25. Adamum & Evam fuisse nudos, verum non puduisse eos, unde colligitur, nullam hactenus in corpore ejusque motibus locum habuisse *αλαξία*.

Tertia pars erat vita hujus vitæ, animæ tranquillitas, nixa conscientia status se decentis, & rationalis voluptas, ex pulcherrimi atque amabilissimi Entis contemplatione, & sensu suæ cum illo similitudinis, ipsiusque erga se favoris & amicitia tot documentis declarata, enata. Hoc Moses satis declarat, percensendo bonitatis Dei in Protoplastos collata numera, & parentes nostros ita depingendo, ut appareat, a peccato demum excitatam in illis metus sociam, & conscientia peccati progeniem, tristitiam, animique horrorem & tumultum. Tunc demum, & non ante, terra maledictioni subiecta. Tunc demum pœnæ lege prima dictæ jure formidata & jam partim etiam inflicta sunt.

Hæc esse, quæ ad essentiam imaginis Dei

Dei pertinent, ex aliis quoque Scripturæ locis Gen. I. 31. Eccl. VII, 29. Luc. III. 38. I. Cor. XI. 7. conficitur, quæ p. 31. sqq. singula illustrantur. Ad Gen. I. 31. notatur, reliqua creationis opera in præcedentibus simpliciter *bona* dici: Sed homine creato mundum non simpliciter *bonum*, sed *valde bonum* prædicari: *vidit Deus omne, quod fecerant, & ecce, erat valde bonum*, quod indicio est, non tantum hominem, in לך comprehensum, valde bonum visum, Creatori, sed & propter illum reliqua omnia istam appellationem meruisse, utpote a quibus jam per hominem ad Deum gloria redire poterat. Neque homo dictus esset *valde bonus*, nisi non tantum absque vitio fuisset, sed & iis ornatus dotibus, quæ ad hoc, ut totus, quantus erat, esset ad Deum, responderet Dei in ipso formando consilio, & placere ac probari opifici suo posset, requirebantur. Lucas, ubi c. III. majorum Servatoris nostri seriem contexit, quando ad Adamum ventum est, hunc *Filium Dei* vocat: atque ita non tantum insinuat, esse hunc in ista serie primum & non generatum ex alio homine, sed a Deo creatum; verum etiam, diversam hujus creati ab illis genitis conditionem indicat, & ad lectoris animum revocat, quæ de illo apud Mosen, atque alibi etiam, scripta exstabant; idemque adeo ista sua phrasi designat, quod per appellationem

Ima-

Imaginis Dei Moses exprimit. Hanc perpetuam emphasin esse nominis *filiorum Dei* ex communitio ejus in sacris usu evincitur. Et sapienter Lucas eandem phrasin adhibuit. Cum enim *secundi Adami* ex Virgine natiuitatem antea descripsisset, cujus finis præcipuus erat, ut Imaginem Dei in illis, quos redempturus erat, instauraret, opportune, ubi de *Adamo primo* verba facit, innuit, ipsum ista Dei similitudine, sed quam haud illæsam conseruavit, neque ad posteros progavit, fuisse conspicuum, eamque jam redonandam illis, quorum gratia carnem assumerat familiæ Dei caput Christus Jesus.

Pergit Cl. Author p. 36. 37. annexa hujus Imaginis recensere, inter quæ primum locum dominio in creaturas adsignat. Istud demonstrat imaginem Dei supponere, quia absque ea ad regimen creaturarum homo non fuisset idoneus: cum vero ea homo præditus fuerit, decuisse Deum, ut moderamen earum ad ipsius laudem homini traderet: neque tamen essentiam imaginis in hoc dominio esse positam, sed absque eo perfectam esse: atque adeo isto rerum statu, quo creaturarum, quibus in primæva quoque conditione parentes nostri indigebant, non is amplius usus est, absque eo consistere posse, neque eo minus integram & numeris omnibus absolutam fore. Alterum consequens hujus Imaginis est immortalitas non  
men.

mentis tantum, sed totius quoque hominis, quæ rationibus irrefragilibus evincitur. Cum vero non quælibet vita vitæ Dei respondeat, sed ea demum, quæ operationibus rectis & jucundis constat, palam est, quod perpetua duratio abstracte considerata pro parte Imaginis Dei non possit haberi, sed ad illam sic demum pertineat, si reliqua adsint, quæ essentiam ejus constituunt. Porro ἐν παρόδῳ hypothesis Altingiana, quæ SS. Trinitatis quoque in creatis mentibus expressionem statuit, rejicitur.

Hinc ad destructionem imaginis divinæ pedem Cl. Author promovet & pag. 38. 39. solvit quæstionem, qua ratione fieri poterit, ut tam eximiis dotibus instructi protoplasti tam alto loco exciderent? Ubi omnem culpam soli homini adscribit, & evincit, neque contra Dei decentiam fuisse, ut quos fœdere sanctissimo secum devincire, quorumque liberrimo obsequio glorificari volebat, & quibus absolutionem Imaginis suæ instar mercedis obedientiæ proposuerat, rectos quidem, attamen uberius felicitatis capaces ac mutabiles conderet: neque a justitia sua aliquid alienum commisisse, quod labi paratos non cohibuit, cum sat roboris ad persistendum indulfisset, neque auxilium præstitit, quando id non rite poscebatur.

Historiam seductionis levi digito tangit. Monet tamen, quod parentes nostri  
 haud

haud in eo peccasse censendi sint, quod evadere Deo pro captu similes cupiverint: huc enim aspirare debuerunt, sed quod spectanti boni nullo negotio & citissime consequendi deliniti, persuaderi sibi passi sint, perveniri eo potuisse comestione fructus vetiti, quando non minus evidenter constare ipsis fas erat, legem severe ea interdicentem abrogatam esse, ac liquebat, latam eam sibi fuisse, & mortis comminatione sancitam.

Tristis dein catastrophe tam quoad protoplastas, quam posteros eorum, describitur: atque ita caput hoc p. 43. 44. concluditur responsione ad duo loca Gen. IX. 6. & Jac. III. 9. quæ videntur imaginem Dei post lapsum residuam statuere. In primo loco homicidio prohibito, pœnaque in id capitali constituta, hæc ratio additur: *quoniam ad Imaginem suam hominem fecerit.* Noster hæc verba ita putat accipienda, ut non tam ad præsentem, quam primævam hominum conditionem respiciant, & finem Dei in imaginis suæ collatione indicent, qui erat, ut per convenientes cum perfectissima sua natura cogitationes, affectus & actiones qualescunque ab iis glorificaretur: quibus consentaneum erat, ut quem ad se Deus ordinaverat, suisque subjecerat legibus, & a quo, etiam post peccatum, sui in hac vita cultum postulare jure poterat, eum vita privare, dominio-

minioque Dei hoc pacto subducere, in ipsum Deum injurium esset. Eo magis, quia, sublata licet morali hominis cum Deo convenientia, essentia tamen aliqua similitudo & tenues pristini decoris reliquiae remanserint, quae naturae residua dignitas, per ipsum quoque corpus pellucens, eximere eos a sui similitudine injuria debet. Accedit, quod Deus sibi proposuerit, collapsam sui similitudinem in quibusdam electis instaurare, cui proposito inservit conservatio & propagatio generis humani: unde, qui vitam auferre homini sustinet, consilium illud Dei, quantum in ipso est, impie atque injuste intervertit. (b) Jacobus hinc quoque facile explicari potest, quando usui linguae praecipuo, *celebrationi Dei*, opponit turpissimum abusum, qui est execratio hominum τῶν καὶ ὁμοίων.

